DE CICERONIS TRIBVS GENERIBVS DICENDI

IN ORATIONIBVS PRO A. CAECINA, DE IMPERIO CN. POMPEI, PRO C. RABIRIO PERD. R. ADHIBITIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
ROSTOCHIENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PHILIPPVS GOTZES
CREFELDIENSIS

ROSTOCHII MCMXIV
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit
Rudolfus Helm, P. P. O.

Examen rigorosum habitum est die XXVIII. mensis Maii a. 1914.

RVDOLFO HELM
PRAECEPTORI CARISSIMO
SACRVM.

CAPITUM CONSPECTUS.

I.

Ut recte de veterum scriptorum genere dicendi iudicemus, memoria teneamus necesse est verba E. Nordeni, quibus reicit illud Buffoni dictum et exponit stilum apud antiquos non fuisse hominem ipsum sed quasi vestem quam mutare poterat prout libebat.[1]) Quare cognoscimus gravissimas exstare sermonis differentias in eiusdem scriptoris operibus; quae differentiae quamvis explicentur aliquoties temporum ratione, plerumque positae sunt in litterarum argumentis.[2])

Atque ut genus dicendi esset accommodatum argumento primam esse artis rhetoricae legem in veterum rhetorum scholis omnibus temporibus erat praescriptum. Quae lex reduci potest ad Aristotelem,[3]) sed non est dubium quin a sophistis prolata sit primis, quos bene dicendi scientiam totam fere ad artem et ad praecepta revocavisse satis constat. Atque tria genera dicendi primum discrevisse qui scripsit „περὶ λέξεως“ Theophrastum, Aristotelis discipulum, valde adducor ut credam.[4]) Significationes erant his generibus

---

[1]) cf. Antike Kunstprosa. Lips. 1909 p. 11 sq.

[2]) Exempla affert Norden l. c. p. 12; cf. etiam ibid. append. p. 2. Praeterea inspicias eund. Einl. i. d. Altertumswissenschaft vol. I ^{2} p. 449 sq. E. Loefstedt, Phil. Comment. zur „Peregrinatio Aetheriae“ Untersuchungen zur Gesch. d. lat. Sprache. Ups. 1911 p. 13. De Ciceronis orationibus conferas etiam Th. Zielinki, Philol. Suppl. XIII, 1 (1914) p. 67 sqq.

[3]) rhet. III, 12, 1413 b 3 sq.: δεῖ δὲ μὴ λεληθέναι ὅτι ἄλλη ἑκάστῳ γένει ἁρμόττει λέξις.

[4]) cf. R. Radermacher, Rhein. Mus. 54 p. 361. Id. Demetr. π. ἑρμ. Lips. 1901 p. 76. Kroll, Rhein. Mus. 62 p. 89. Nimium revocat hanc doctrinam ad Theophrastum A. Mayer, Theophrasti περὶ λέξεως libri fragmenta. Lips. 1910 p. 3 sqq. — Aliter autem iudicant J. Stroux, de Theophrasti virtutibus dicendi. Lips. 1912 p. 93 sqq. et Th. Herrle, quaestiones rhetoricae ad elocutionem pertinentes. Lips. 1912 p. 55.

ἁδρόν, μέσον, ἰσχνόν, quae petitae esse videntur — cum omittam nomen *μέσον* — a nudis gladiatorum corporibus.[1]) Illae quidem significationes, quamquam maxime usitatae, non adhibebantur unae, cum diceretur *ὑψηλόν, περιττόν, σεμνόν, βαρύ, μεγαλοπρεπές* pro *ἁδρόν*, pro *ἰσχνόν* vero *ἀφελές, λιτόν, λεπτόν*.

De ratione trium generum dicendi apud Ciceronem conspicua.

Ut autem a Romana doctrina rhetorica ad Graecos fontes descendere oportet, ita etiam Ciceronem, quem eximio litterarum Graecarum studio et amore flagrasse haud ignoramus, cum agat de tribus generibus dicendi, ex fontibus hausisse Graecis satis intellegi potest. In libris „de oratore" „Bruto" „de optimo genere or." haec tria genera raro commemorat, cum disputatio oratoria, qui „orator" inscribitur, tota fere exstructa sit in ea doctrina.

„Tria sunt omnino genera dicendi" legitur or. 20.[2]) Atque saepissime Cicero de iis agit describendo et explicando, cum ipse quoque ut litterarum perfectus sermo accommodatus sit argumentis, ante omnia praescribit. Itaque eam affectabat dicendi facultatem, quam describit his verbis or. 70: „Magni igitur iudici, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille et quasi temperator huius tripertitae varietatis; nam et iudicabit, quid cuique opus sit et poterit quocumque modo postulabit causa dicere". Quam facultatem maxime in Demosthene admirabatur Cicero: „Sed ego . . . recordor longe omnibus unum *me* anteferre Demosthenem, quem velim accommodare ad eam quam sentiam eloquentiam, non ad eam quam in aliquo ipse cognoverim. Hoc nec gravior exstitit quisquam nec

---

1) cf. R. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer. Lips.[2] 1885 p. 534. — M. Wiegandt, de metaphorarum usu quodam Ciceroniano. Rost. 1910 p. 24.

2) In locis proferendis Ciceronianis secutus sum editiones bibliothecae Oxoniensis.

callidior nec temperatior".[1]) Atque subtilius exponit eam sermonis variandi necessitatem or. 72: „Quam enim indecorum est, de stillicidiis cum apud unum iudicem dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus, de maiestate populi Romani summisse et subtiliter!" Similiter legimus ep. ad fam. IX 21,1: „... ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. Privatas causas, et eas tenuis, agimus subtilius, capitis aut famae scilicet ornatius." [2]) Quam accommodationem spectare non solum ad totas orationes, sed etiam ad earum partes satis apparet.[3]) Atque utendum esse ad variandum sermonem his tribus generibus Cicero docet: tenui, medio, sublimi. „Is erit igitur eloquens, ... qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere." [4]) Atque aperte et haud ambigue tres nominat orationes tamquam exemplaria eloquentiae, in quibus reperiri possint singula genera: ut in oratione habita pro A. Caecina adhibitum est genus tenue, ita in oratione pro lege Manilia genus medium, sublime in oratione pro C. Rabirio perd. r.[5]) Quare adducimur, ut illae ipsae orationes quo modo inter se differant, accuratius examinemus.

Atque ad cognoscendas proprietates uniuscuiusque

---

[1]) or. 23. — Cf. etiam F. Leo, Die Originalität der roem. Literatur, Gott. 1904 p. 11 „Er (sc. Cicero) stellte sich als Beherrscher aller Stile und Meister in der kunstmäßigen Gestaltung, die aus der Rede des Tages ein Werk von literarischer Dauer machte, unmittelbar hinter Demosthenes."

[2]) cf. etiam Cic. de fin. III 19: „Istius modi autem res (sc. tenues) dicere ornate velle puerile est."

[3]) cf. or. 74; 103. — Cf. Norden, Einl. i. d. Alt. I[2] p. 449 sq.

[4]) or. 101; cf. de or. II 128 et 129; auct. ad Her. IV 8, 11: „Sunt igitur tria genera, quae genera nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur: unam gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus".

[5]) cf. or. 102.

generis dicendi gravissimum mihi videtur esse et respicere ea praecepta quae protulit Cicero ipse in disputationibus oratoriis[1]) et investigare eos quos potissimum ille secutus sit Graecos oratores.[2]) — Primum autem copiose et abundanter describit dicendi genus eius oratoris, „quem solum quidem vocant Atticum",[3]) id est genus tenue.[4]) De quo oratore ita iudicat: „Summissus est et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus quam opinione differens". (or. 76.) Ea verba fundamentum totius explicationis meo quidem iudicio sunt. Orator qui genere utitur tenui, consuetudinem imitatur, i. e. sermonem cotidianum adhibet eumque minime rudem sed excultum quidem et politum.[5]) Qui modus dicendi quamquam facilis esse et proprius vitae cotidianae videtur, tamen artis signo notatus est[6]) et difficillimus ad imitandum: „Itaque eum qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus." (or. 76).[7]) Atque ita dicit hic orator summisso

De genere dicendi tenui.

---

[1]) cf. Norden, Ant. Kunstpr. p. 214: „Es muß geprüft werden, wieweit bei ihm (sc. Cicero) die von ihm selbst dargelegte Theorie mit der Praxis zusammengeht".

[2]) cf. ibid. p. 214 sq. „Es müssen die griechischen Redner herangezogen werden: denn ihnen verdankt er das Beste . . ."

[3]) or. 75.

[4]) Cf. etiam Kroll, Ciceronis orator, Berol. 1913, p. 10 sq.

[5]) Quem sermonem non inscite describit E. Loefstedt l. c. p. 8: „Es ist nämlich darunter nicht die im Munde des ungebildeten Volkes lebende Sprache zu verstehen, sondern vielmehr diejenige Stilgattung bezw. Stilgattungen, welche der Volks- oder Umgangssprache näher stehen als die durch literarische Technik und Tradition ausgebildete gehobene Ausdrucksweise; es handelt sich also keineswegs um das reine Vulgäridiom, sondern um die freiere und nachlässigere Sprache im Gegensatz zur strengeren und kunstvolleren".

[6]) cf. Norden, A. K. p. 48: „. . . ein ἄτεχνον gibt es in der antiken Literatur nicht". Cf. etiam Kroll, Cic. or. p. 78.

[7]) cf. Norden, Agnostos Theos, Lips 1913, p. 377, 1.

genere usus „ut probet“,[1]) nam est genus „subtile in probando“.[2]) Utque omnium veterum rhetorum[3]) ita Ciceronis quoque in hoc uno congruunt sententiae, genus tenue maxime perspicuitate effici. Itaque significantur qui huic generi student oratores „tenues acuti, omnia docentes et dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam et pressa oratione limati“.[4]) Cuius generis nomina propria saepe Cicero variat, cum dicatur oratio „tenuis“ (or. 20, 29, 53, 81; de or. III 199, 212) „subtilis“ (or. 22, 69, 72, 76; de or. III 177) „summissa“ (or. 72, 76, 82, 90, 101) „humilis“ (or. 76) „attenuata“ (or. 108, Brut. 201).

Quod genus dicendi Lysiae oratoris maxime opera ad perfectionem summam evectum esse rhetores omnes fere persuasum habebant.[5]) Atque plurimi aestimabat artem dicendi Lysiae et laudabat Cicero; „alterum paene Demosthenem“ eum significat (or. 226), qui quamvis non possit „movere“ vel „flectere“ modo Demosthenis, tamen tamquam „egregie subtilis scriptor atque elegans“[6]) optime sciat — quod propositum sit generi tenui — „docere“ vel „probare“. Atque ad eum ipsum spectat Cicero in hoc genere describendo;[7]) „imitemur — Lysiam et eius quidem tenuitatem potissimum.“[8])

---

[1]) or. 69.

[2]) or. 69.

[3]) cf. W. Schmid, Rhein. Mus. 49 (1894) p. 139 sq.

[4]) or. 20.

[5]) cf. Dion. Hal. de Dem. c. 2 [vol. I p. 130, 6—17 U.-R.]: „*ἡ δὲ ἑτέρα λέξις ἡ λιτὴ καὶ ἀφελὴς ... πολλοὺς μὲν ἔσχε καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας προστάτας συγγραφεῖς τε καὶ φιλοσόφους καὶ ῥήτορας . . . ἐτελείωσε δ' αὐτὴν καὶ εἰς ἄκρον ἤγαγε τῆς ἰδίας ἀρετῆς Λυσίας ὁ Κεφάλου*“. Cf. etiam auct. „*περὶ ὕψους*“ 34, 2. Quint. inst. or. IX 4, 17. F. Blaß, Die att. Beredsamkeit. Lips.[2] vol. I p. 390.

[6]) Brut. 35; cf. ibid. 64.

[7]) cf. Kroll, or. p. 78; Volkmann l. c. p. 551; Blaß, l. c. I p. 390.

[8]) de opt. gen. or. 9. — De Lysiae sermone satis diffuse disserit F. Berbig, Über das genus dicendi tenue des Redners Lysias. Cuestr. 1871.

De genere dicendi medio.

Jam transeamus ad oratorem illum, qui „est . . . interiectus inter hos (sc. oratorem summissum et grandem) medius et quasi temperatus nec acumine posteriorum nec fulmine utens superiorum“.[1]) De quo fusius disserit Cicero or. 91: „Uberius est aliud aliquantoque robustius quam hoc humile de quo dictum est, summissius autem quam illud de quo iam dicetur amplissimum“. Quod genus „modicum in delectando“[2]) esse Cicero dicit postulatque „ut delectet“[3]) orator cum hoc genere utitur. Sed qui tandem fit ut hoc genus tamquam medium plurimum habeat „suavitatis“[4]) et maximam efficiat delectationem?

Ut iam rhetores veteres Graeci inopia notarum et signorum generis medii nomen huc illuc traxerant,[5]) ita Cicero quoque vilem et inanem eam vocem cognoscens attribuit ei colorem generis cuiusdam floridi: „Est enim quoddam etiam insigne et florens orationis pictum et expolitum genus“.[6]) Eius sermonis floridi exemplar nominat Demetrium Phalereum: „In qua (oratione media) multi floruerunt apud Graecos, sed Phalereus Demetrius meo iudicio praestitit ceteris, cuius oratio . . . sedate placideque liquitur“.[7]) Minora autem sunt duo Demetrii fragmenta, quam quae nobis afferant lucem. Satis autem perspicue illustrat eius sermonem Ciceronis illud dictum: „hic (sc. Demetrius) primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit et suavis, sicut fuit, videri maluit quam gravis; sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret, (et) tantum ut me-

---

[1]) or. 21.

[2]) or. 69.

[3]) or. 69.

[4]) cf. or. 69: „delectare suavitatis est“. Cf. etiam or. 91.

[5]) cf. W. Schmid l. c. p. 140 sq.

[6]) or. 96; cf. etiam W. Schmid l. c. p. 142 sq.

[7]) or. 92.

moriam concinnitatis suae, non, quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis, cum *delectatione* aculeos etiam relinqueret in animis eorum a quibus esset auditus".[1]) Cum eius igitur sermone apte comparat Cicero illud genus medium vel florens, de quo ipse dicit: „*Hoc in genere* (medio) nervorum vel minimum, *suavitatis autem est vel plurimum*".[2]) Atque ut abhorret Demetrii sermo ab acuto sermone Lysiae — „at est *floridior* ... quam Lysias"[3]) —, ita refugit vim vehementem Demosthenis — „*delectabat* magis Atheniensis quam inflammabat".[4]) Atque Cicero „*hoc totum* (sc. genus floridum) — inquit — *e sophistarum fontibus defluxit in forum*".[5]) Spectare igitur hoc genus floridum dilucide apparet ad sermonem illum „*laudationum* et historiarum et talium suasionum, qualem *Isocrates fecit Panegyricum* multique alii qui sunt nominati sophistae"[6]) et id genus „quod Graece *ἐπιδεικτικόν* nominatur, quia quasi ad inspiciendum *delectationis* causa comparatum est".[7]) Atque alio loco disserit de hoc sermone „sophistarum ... qui omnes eosdem volunt *flores* quos adhibet orator in causis, persequi ... His propositum (est) non perturbare animos sed *placare* potius, nec tam persuadere quam *delectare*".[8]) Praeterea legas or. 42: „*Dulce* igitur orationis genus et solutum et fluens, sententiis argutum, verbis sonans est in illo *epidictico genere* quod diximus proprium sophistarum, *pompae quam pugnae aptius*".[9]) Atque ipsum *Isocratis*, quem orationem Graecorum ad summam artem et perfectionem extulisse satis

---

[1]) Brut. 38.

[2]) or. 91.

[3]) Brut. 285.

[4]) Brut. 37.

[5]) or. 96.

[6]) or. 37; cf. Kroll or. p. 45.

[7]) or. 37.

[8]) or. 65.

[9]) cf. C. Muenscher, Isocr. or. sel. Berol. 1908 p. 18sq.

apparet,[1] sermonem temperatum,[2] quem maxime simillimum Demetrii esse negari haud potest,[3] summis laudibus effert Cicero,[4] cuius studia rhetorica originem traxisse praecipue ex ratione Isocratis et Isocratiorum scimus.[5] Illud autem „floridum“ atque illud „suave“, quae maxime petere genus medium Cicero dicit, virtutes sermonis Isocratei praecipue insignes saepe denotant et rhetores veteres[6] et Cicero[7] ipse. Utque igitur Cicero in genere adhibendo medio aures audientium dirigebat ad voluptatem tantum et delectationem,[8] ita Isocrates in laudationibus suis haudquaquam petiverat usum et utilitatem,[9] sed tantummodo „delectationem“: „non enim ad iudiciorum certamen, sed *ad* voluptatem aurium scripserat (sc. Isocrates)“.[10]

Id autem commemorare liceat genus demonstrativum vel *ἐπιδεικτικόν* purum merumque adhiberi aetate rei publicae liberae nunquam fere nisi in laudationibus funebribus.[11] Cicero autem cum ne oratores neglegant id genus monet,[12] ipse quoque aliquoties id adhibet suamque in artem ora-

[1] cf. Norden, Ant. Kunstpr. p. 113. „Der Vollender der griech. Kunstprosa war Isocrates“; cf. etiam ibid. p. 116.

[2] cf. Norden, Ant. Kunstpr. p. 808.

[3] cf. Norden, Ant. Kunstpr. S. 128; „wirklich stimmt die Charakteristik, die er (Cicero) vorher (or. 37 sqq.) von der Redeweise des . . . Isocrates gegeben hat, mit der des Demetrios“.

[4] cf. or. 41/42.

[5] cf. Blaß l. c. II² p. 212 sq.; H. M. Hubbell, The influence of Isocrates on Cicero etc., Diss. New Haven 1913; Th. Stangl, Blätter für das bayer. Gymnasialschulwesen XIX (1883) p. 184; cf. etiam C. Muenscher l. c. p. 17, 1.

[6] cf. Dionys Hal. de Isocr. c. 3 (vol. I p. 59, 6 sqq.); id. de Dem. c. 18 (vol. I p. 166, 3 sqq); Quint. X 1, 108.

[7] cf. de or. III 28.

[8] cf. supra p. 6.

[9] cf. Blaß l. c. II² p. 122.

[10] or. 38.

[11] cf. de or. II 341; cf. etiam F. Vollmer, Neue Jahrb. f. Phil. u. Paed., Suppl. 18 (1891) p. 468 sq.

[12] cf. or. 37; cf. etiam or. 209.

toriam convertit; atque imprimis hoc genus demonstrativum proprium esse generis medii ex verbis oratoris dilucide apparet: „hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum, sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus in ea de qua loquor mediocritate consedit“.[1])

Atque significationes sunt medio dicendi generi hae quoque: „modicum“ (or. 69, 95, 98), „mediocre“ (de or. III 199, 212), „temperatum“ (or. 21, 53, 95, 98, 101, 102).

Restat ut agamus de genere sublimi, de quo legimus or. 97: „Tertius est ille amplus copiosus, gravis ornatus, in quo profecto vis maxima est. Hic est enim, cuius ornatum dicendi et copiam admiratae gentes eloquentiam in civitatibus plurimum valere passae sunt“. Licet insit color quidam grandis illi quoque generi medio, cum tale sit „cui omnia dicendi ornamenta conveniant“[2]) a sophistis praecipue inventa, quae efficiant delectationem, attamen „hoc in genere (medio) nervorum vel minimum“,[3]) in genere sublimi „profecto vis maxima est“.[4]) Jam veteres rhetores posteriores τὸ δεινόν maximae gravitatis esse ad genus sublime constituendum censuerunt.[5]) Itaque Cicero ipse quoque „τὸ παθητικόν, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio“,[6]) ipsi huic generi attribuit, cum postulet, ut orator sublimis „flectat“[7]) atque adhibeat genus illud „vehemens in flectendo, in quo uno vis omnis oratoris sit“.[8]) Qui oratores significantur „ad permovendos et convertendos animos instructi et parati“.[9]) Atque maxime est persuasum Ciceroni summam

De genere dicendi sublimi.

[1]) or. 96.
[2]) or. 92.
[3]) or. 91.
[4]) or. 97.
[5]) cf. W. Schmid l. c p. 140.
[6]) or. 128.
[7]) or. 69.
[8]) or. 69.
[9]) or. 20.

admirationem habere artem illam sublimiter dicendi: „Huius eloquentiae est tractare animos, huius omni modo permovere. Haec modo perfringit, modo inrepit in sensus; inserit novas opiniones, evellit insitas.“[1]) Cuius sermonis significationes saepe variat Cicero, cum dicat „gravem“ (de or. III 177, 192, 212; or. 20, 23, 97, 99, 101), „grandiloquum“ (or. 20), „vehementem“ (or. 20, 69), „amplum“ (or. 97), „copiosum“ (or. 20, 97), „ornatum“ (or. 97).

Neque dubitare licet quin Cicero huius eloquentiae exemplar sibi proposuerit Demosthenem, „quo nec gravior exstitit quisquam nec callidior nec temperatior“.[2]) Praeterea legas or. 111: „Multae sunt eius (sc. Demosthenis) totae orationes subtiles ... multae totae graves ... multae variae ... Iam illud medium quotiens vult arripit ..., clamores tamen tum movet et tum in dicendo plurimum efficit, cum gravitatis locis utitur“.[3]) Itemque illam virtutem vehementer dicendi praeter ceteros Demosthenis propriam commemorat auctor π. ὕψ.: „ὁ δὲ (Demosthenes) ἔνθεν ἑλὼν τοῦ μεγαλοφυεστάτου καὶ ἐπ᾽ ἄκρον ἀρετὰς συντετελεσμένας, ὑψηγορίας τόνον, ἔμψυχα πάθη, περιουσίαν ἀγχίνοιαν τάχος, ἔνθα δὴ κύριον, τὴν ἅπασιν ἀπρόσιτον δεινότητα καὶ δύναμιν ... ταῦτα ... ὡς θεόπεμπτα δεινὰ δωρήματα ... ἀθρόα ἐς ἑαυτὸν ἔσπασεν“.[4]) Itaque Cicero ipse ut propriam designat „subtilitatem Lysiae“, ut „suavitatem Isocratis“, ita „vim Demosthenis“[5]) Atque ita sublimitas Ciceronis omnibus ornamentis et artibus instructa est tantummodo ad permovendos et flectendos animos, ut Demosthenis sublimitas nihil petit nisi τὸ δεινόν.[6])

---

[1]) or. 97.

[2]) or. 23; cf. etiam Kroll, or. p. 32.

[3]) cf. F. Blaß l. c. III 1 p. 80 sq.

[4]) cap. 34 (p. 66, 6 — p. 67, 5 Jahn-Vahlen[4]).

[5]) de or. III 28; cf. etiam de or. I 89; Quint. inst. or. X 1, 108.

[6]) cf. Norden, Ant. Kunstpr. p. 121. „Er (Demosthenes) verwendet den Schmuck nicht wie Isocrates und Genossen als Selbstzweck, sondern er ist ihm Mittel zum Zweck der δεινότης.“

II.

1. Quibus de causis Cicero variaverit sermonem orationum.

Iam comprehendamus primum quibus de causis, deinde quibus artibus Cicero variaverit sermonem orationum illarum, quas ipse ut exempla laudavit, Caecinianae, Pompeianae, Rabirianae.

Quibus de causis in Caeciniana genus dicendi tenue adhibitum sit.

Erat ex facto haudquaquam gravi profecta causa Caeciniana, quae ad ius privatum pertinens agebatur apud recuperatores, qui instituti erant ad civium Romanorum disceptandas „causas privatas“ idque loco „unius iudicis“;[1]) qua in re ut „summisse et subtiliter“ diceretur Cicero postulabat.[2]) Praeterea illud cogitandum est non de rebus, sed potius de verbis disceptari, quod ipse Cicero testatur his verbis: „Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit“.[3]) Atque id sibi orator proposuit ut legem quandam Romanam — interdictum „de vi armata“ — quae ambigue explanari poterat, perfecte et omni ex parte interpretaretur.[4]) Quam ob rem ei erat necesse „res involutas definiendo explicare“ et „verba ambigua distinguere“.[5]) Atque hanc obscuram quaestionem non potuit persolvere nisi docendo et probando, quae

---

[1]) cf. S. F. Girard = R. v. Mayr, Gesch. u. System des röm. Rechtes, Berol. 1908. II p. 1101 adn. 4 et p. 1155 adn. 2.

[2]) cf. or. 72; adde ep. fam. IX, 21, 1.

[3]) or. 102.

[4]) cf. Kroll or. p. 97 „Ciceros Aufgabe war es, durch feine Distinktionen klar zu machen, daß das, was in den Worten des Interdikts nicht zu liegen schien, in ihm enthalten sei“.

[5]) or. 102.

proposita esse generi tenui supra cognovimus. Quod iam Lysias intellexit, quem fuisse illius sermonis exemplar scimus: „Lysias ... subtilis atque elegans et quo nihil, si oratori satis sit docere, quaeras perfectius“.[1])

Itaque Ciceroni in oratione Caeciniana genus tenue adhibendum fuisse dilucide apparet.

Quibus de causis in Rabiriana genus dicendi sublime adhibitum sit.

At quantae differentiae intercedunt inter orationem Caecinianam et Rabirianam! T. Labienus tribunus plebis cum C. Rabirium accusaret, quod L. Apuleium Saturninum, tribunum plebis, res novas molientem necasset, auctore Caesare perduellionis crimen ei intendit non ut scelus expiaretur, sed rei publicae causa; id enim agebant, ut infringerentur quae iam diu erant summa in invidia apud ipsos et auctoritas senatus et praecipue senatus consultum ultimum: „Videant consules ne quid detrimenti capiat res publica“,[2]) ex quo in periculo summo discrimineque patriae consules habebant summam potestatem coercendi novas res molientes. Intendebant autem Rabirio accusatores actionem perduellionis illam priscam et iam pridem sublatam. Haudquaquam igitur — quod erat in Caeciniana — in hac causa id agebat Cicero, ut homini privato, de cuius iure erat detractum, adesset in iudicio, sed agebatur res publica.[3]) Quam causam minus desiderare diligentiam patroni quam ut consul ipse intercederet postulare dicebat.[4]) Neque unquam post hominum memoriam de re maiore esse actum ipsi erat persuasum.[5]) „Agitur enim — inquit — nihil aliud in hac causa, Quirites, *nisi* ut nullum sit posthac in re publica publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem et audaciam,

---

[1]) Quint inst. or. X 1, 78.

[2]) cf. W. E. Heitland, Cic. p. Rab. Cambr. 1882 p. 83 sqq.

[3]) cf. Cass. Dion. 37, 26 sqq.; Cf. etiam Heitland l. c. p. 28 sq. Th. Mommsen, Röm. Gesch. III[8] 169.

[4]) cf. Rab. 9.

[5]) cf. Rab. 4.

nullum extremis rei publicae temporibus perfugium et praesidium salutis".[1]) Haec igitur causa non erat „de stillicidiis" — ut ait facete or. 72 — sed „de maiestate populi Romani", de qua cum diceretur, „amplissimis verbis"[2]) i. e. genere sublimi uti oporteret; haec causa, quod ea „ius omne retinendae maiestatis continebatur",[3]) re vera ipsi „magna res" videbatur, quae eum „graviter dicere"[4]) iubebat.

Quibus de causis in Pompeiana genus dicendi medium adhibitum sit.

Jam restat ut examinemus cur Cicero in oratione „de imp. Cn. Pompei" adhibuerit genus medium. — Anno 66 a. Chr. n. Manilius tribunus plebis legem ad populum tulit, ut administraret bellum adversus Mithridatem, Ponti regem, Cn. Pompeius, qui tum bellum piraticum anno superiore demandatum confecerat. Atque Cicero, qui eo anno praetor erat, hac ipsa oratione sibi proposuit, ut eam legem suaderet, quod quidem non erat difficile, cum populus summo studio rogationi Maniliae obsecundaret et lex ut perferretur fore certissimum esset.[5]) Itaque in lege suadenda non ut arguta argumentatione adversariorum sententias contrarias refelleret, operam dabat, sed talia proferebat quae et populum et Pompeium libenter auditurum esse sperabat,[6]) i. e. spectabat ad animos populi delectandos. Nemo enim tum carior erat populo Romano, quam Pompeius,

---

[1]) Rab. 4; Cf. etiam Pis. 4.

[2]) cf. or. 72.

[3]) or. 102.

[4]) or. 100, 101.

[5]) cf. Pomp. 63, 69; Cf. etiam W. Drumann, Gesch. Roms in seinem Übergange von der republicanischen zur monarchischen Verfassung, it. ed. P. Groebe, IV Lips. 1908 p. 432 sq.

[6]) cf. C. Neumann, Gesch. Roms II 1884 p. 147: „Es findet sich in der Rede kein einziger politischer Gedanke, ja die Rede berührt nicht einmal den Kern der Frage, sondern giebt nur das politische Geschwätz der Spießbürger in veredelter Ausdrucksweise wieder".

qui Romanos et bellis praeclarissime gestis et popularibus legibus latis tanto studio tantaque admiratione sui impleverat, ut, quidquid appeteret, tribueretur ipsi summa populi Romani gratia. Atque Cicero, cum adeo pugnaret pro causa hominis tam gratiosi hac oratione, qua primum apud populum oravit,[1]) simul sua ipsius consilia adiuvari haud ignorabat; animo enim iam spem consulatus praeceperat. Itaque id studebat ut splendidissimis verbis[2]) ad sensum popularem accommodatis Pompeium laudaret et ornaret, quod ipse testatur his verbis: „Fuit ornandus in lege Manilia Pompeius: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus".[3]) Ad delectationem autem spectare imprimis genus dicendi temperatum vel medium iam supra cognovimus.

2. Quibus artibus Cicero variaverit sermonem orationum.

A. De delectu verborum.

I. De oratione Caeciniana.

Iam ad rem ipsam accedimus ut constituamus gravissimam illam quaestionem, quae notae et formulae sint propriae et generis tenuis et medii et sublimis.

---

[1]) cf. Pomp. 1.

[2]) cf. Pomp. 29: „Iam vero virtuti Cn. Pompei quae potest oratio par inveniri? Quid est quod quisquam aut illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit adferre?" Praeterea legas M. Corn. Fronton. (ed. Naber, p. 221): „Nunc ut orationem istam M. Tulli, quam tibi legendam misi, paucis commendem: mihi profecto ita videtur, neminem unquam neque Romana neque Graecorum lingua facundius in concione populi laudatum, quam Cn. Pompeius in ista oratione laudatus est: ut mihi ille videatur non ita suis virtutibus, ut Ciceronis laudibus, Magnus cognominatus".

[3]) or. 102. — Cf. etiam Pomp. 3 „Dicendum est enim de Cn. Pompei singulari eximiaque virtute; huius autem orationis difficilius est exitum quam principium invenire. Ita mihi non tam copia quam modus in dicendo quaerendus est."

Genus quidem **Caecinianae** proprium tenue, cui „docere“ et „probare“ propositum sit, effici maxime perspicuitate verborum et sententiarum, omnes fere rhetores veteres cognoverunt.[1]) Atque ut „*ἡ … Λυσίου λέξις ἅπασα … φανερὰ καὶ σαφής*“[2]) maxime insignem reddidit ipsius sermonem, Cicero ipse quoque ut „dilucide planeque“[3]) diceret orator summissus, maxime postulabat. Quae perspicuitas praecipue efficitur in Caeciniana abundantia quadam verborum et sententiarum. Duplex quidem est in Ciceronis orationibus adhibita abundantia: altera tantummodo ad id spectat, ut imitando sermonem naturalem et cotidianum res reddat quam maxime potest dilucidas et claras,[4]) altera arte quadam rhetorica effecta nihil vult nisi delectare aures audientium. Atque ut hanc plurimum in Pompeiana valere infra cognoscemus, ita illa maximi momenti est in Caeciniana.

Genus dicendi tenue petit perspicuitatem.

Perspicuitas generis tenuis propria efficitur abundantia verborum et sententiarum.

Qua in re hoc unum observandum est. Sermo enim iuris Romani et legum accuratione et subtilitate quam anxia serviat luci et perspicuitati satis scimus.[5]) Minime igitur est mirum non raro defluere ex eo sermone genus dicendi a Cicerone adhibitum in causa Caeciniana, quae, cum „tota de verbis interdicti esset“ idque spectaret ut „res involutas definiendo explicaret“ et „verba ambigua distingueret“,[6]) summam exigebat perspicuitatem. Quare

---

[1]) cf. Demetr. Phal. de eloc. cap. 191 [p. 42,7 Rad.] „*μάλιστα δὲ σαφῆ χρὴ τὴν λέξιν (τοῦ ἰσχνοῦ χαρακτῆρος) εἶναι*“. Cf. etiam Dion. Hal. de Dem. cap. 5 [vol. I p. 136, 21 U.-R.]; W. Schmid, l. c. p. 139 sq.

[2]) Dion. Hal. de Lys. cap. 4 [vol. I p. 12, 18 U.-R.] adde id. de Dem. c. 13 [p. 155, 20 sq.]; cf. F. Blaß, l. c. I p. 392.

[3]) or. 79. — Cf. etiam or. 20.

[4]) De abundantia vulgari, quae perspicuitatem petit, conferas H. Ziemer, Junggrammatische Streifzüge im Gebiete der Syntax. Colb.[2] 1883 p. 46 sq.; O. Weise, Charakteristik der lat. Sprache. Lips[4] 1909 p. 126 sq.

[5]) cf. F. Skutsch, Kultur der Gegenwart I, 8 Lips.[3] p. 534; E. Loefstedt, l. c. p. 246.

[6]) or. 102.

comparari potest is Ciceronis sermo cum iuris consultorum, „quorum summus circa verborum proprietatem labor est".[1]) Neque dissimiles esse quibusdam proprietatibus et sermonem iuris consultorum et sermonem cotidianum non praetereundum esse puto.[2])

Circumlocutiones verbo „faciendi" effectae.

Atque primum ad abundantiam orationis Caecinianae pertinent circumcolutiones verbo „faciendi" effectae, quae — magna ex parte propriae sermonis cotidiani[3]) — praecipue dilucidam reddant orationem. Exempla legimus non pauca[4]):

41. „saucium facere" (pass.)[5])
92. „planum facere"[6])
41. „caedem, occisionem facere (pass.)[7])

---

[1]) Quint. inst. or. V 14, 34. — Cf. Norden Ant. Kunstpr. p. 581 „Jeder weiß, daß sie [iuris consulti] sich durch die klassische Einfachheit ihrer auf das rein Sachliche gerichteten Sprache hervorgetan haben".

[2]) cf. J. H. Schmalz, Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen. 1881, p. 93; O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache, Kiel 1873, p. 19; E. Loefstedt l. c. p. 88.

[3]) cf. E. Loefstedt, l. c. p. 163 sqq.; Koehler, Acta sem. Erlang. 1878, p. 450; Hellmuth, ibid. p. 140 sq.; Krebs-Schmalz, Antibarb. Bas.[7] I p. 571.

[4]) In hac disputatione excludam orationum prooemia et perorationes, respiciam tractationes, quae constant in oratione Caeciniana ex §§ 10—103, in Pompeiana ex §§ 4—68, in Rabiriana ex §§ 6—31. — Praeterea ne inducamur in errores, alias quoque, quae mihi maxime idoneae videntur esse, adhibere mihi placet orationes praecipue in parte priore. Quare comparentur oratio Tulliana cum Caeciniana (cf. Tac. dial. 20), Archiana cum Pompeiana, Catilinaria prior cum Rabiriana. Cf. L. Laurand, Études sur le style des discours de Cicéron, Paris 1907, p. 303.

[5]) cf. Tull. 56.

[6]) cf. Quinct. 78, 86; Rosc. Am. 54, 58, 65, 101; Rosc. com. 11, 39, 41, 42; Tull. 1, 30; Verr. a. pr. 39, 40, 56; Verr. I 27, 52, 83, 100, 127, 156; Verr. II 50, 81, 143, 174, 178; Verr. III 131, 189; Verr. V 165; Tull. 1, 29; Cluent. 97, 98, 99; Rab. Post. 37.

[7]) Elocutio „occisionem facere" alibi non exstat; „caedem facere"

43. „fugam facere (pass.)[1])
57. „deiectionem facere“[2])
23, 45, 80. „sponsionem facere“ (act. et pass.)[3])
17. „emptionem facere“ (pass.)[4])
27, 32. „deductionem facere“ (pass.).[5])

Quibus elocutionibus addo:

„argentariam (sc. artem) facere“ 10[6])
„manum facere“ 33[7])
„res — facere“ (adverbio adiecto) 23[8])
„vestigium facere“ 39[9])
„vim facere“ (act. et pass.) 22, 23, 32, 36, 41, 44, 45, ibid., 46, ibid., 49, 57, 59, 63, ibid., ibid., 76, 83, 85, 93.[10])

Praeterea digna puto quae afferam exempla haec:

30. „Quid huic tu homini facias?“[11])
79. „rem et sententiam interdicti mecum facere fatebatur“[12])
80. „verba sponsionis facere mecum“.[12])

---

legitur 37ies; exempla affert H. Merguet, Lexikon zu d. Reden Ciceros, Jen. I p. 438.

[1]) cf. de dom. 67.

[2]) Ea elocutio alibi non exstat.

[3]) cf. Quinct. 30, 31, 32, ibid., 36, 46, 84; Qu. Rosc. 10, 14; Verr. I 115, 116; Verr. III 132, 133, 135, 137, 139, 144; Verr. V 141; Tull. 29. — Haec formula iuris sermonis propria erat. Cf. W. Rein, Das Privatrecht und der Zivilprozeß der Römer, Lips. 1858, p. 913; cf. etiam C. A. Jordan, Cic. pr. Caec., Lips. 1847, p. 267.

[4]) cf. Flacc. 74.

[5]) cf. div. Caec. 32; Verr. III 181. Formula propria iuris sermonis; cf. Rein, l. c. p. 895.

[6]) cf. Verr. V 155, 165.

[7]) cf. Verr. IV 96; V 77.

[8]) In ceteris Ciceronis orationibus exempla desunt.

[9]) cf. Rab. Post. 48.

[10]) cf. Tull. 28, ibid.

[11]) cf. infra p. 36.

[12]) cf. Quint. 91; Verr. I 104; Sull. 36, ibid.; dom. 102; Planc. 86.

Praetereo formulas saepissime usitatas „impetum facere“ (62) et „iniuriam facere“ (101).

Quae locutiones rarius adhibentur in Pompeiana; nam ut omittam formulas solitas „impetum facere“ (25) „bellum facere“ (26) „verba facere“ (27), legimus:

15. „irruptionem facere“ (pass.)[1])
27. „dubium facere“[2])
39. sumptum facere“[3])
43. „auctoritatem facere“[4])
ibid. „iudicia facere“.[5])

In oratione Rabiriana vero legimus:

8. „peculatum facere“ (pass.)[6])
31. „coniecturam facere“.[7])

Circumlocutio fit substantivo „modi“.

Neque minus propriae sunt abundantiae vulgaris circumlocutiones substantivo „modi“ effectae[8]), quas ad perspicuitatem efficiendam saepissime adhibitas invenimus ipsa in Caeciniana:

„eius modi“ 15, 33, 40, 63, 65, 71, 72, 92
„nullo modo“ 35, 36, 48, 50, 85, 90, 96
„alio modo“ 99
„ullo modo“ 32
„eodem modo“ 96
„quonam modo“? 80
„huiusce modi“ 72

---

[1]) Exempla desunt.

[2]) Exempla desunt.

[3]) Sex. Rosc. 134, 139; Verr. III 155; IV 22; Scaur. 45.

[4]) Exempla desunt.

[5]) Hanc elocutionem legimus 49ies in Ciceronis orationibus. Cf. Merguet, l. c. II p. 15 et p. 305.

[6]) Exempla desunt.

[7]) cf. Verr. I 125; II 164, 183; III 106, 121; Verr. IV 34; V 22; Mur. 44.

[8]) cf. Krebs-Schmalz, Antibarbarus der lat. Sprache, Bas.[7] 1907, vol. II p. 94; E. Woellflin, Philol. Anzeiger 1879 p. 53.

„quem ad modum“ 17, 22, 36, ibid., 46, 49, 82, 98, 102.

„quo modo“ 25, 37, 71.

In Pompeiana vero legimus:

„eiusmodi“ 6, 13.

„quem ad modum“ 22, 39.

Atque Rabiriana praebet exempla haec:

„nullo modo“ 15, 26.

„prope modum“ 6.

„quem ad modum“ 26.

„hostilem in modum“ 24.

Saepissime genus tenue abundanter pronomine demonstrativo vel relativo praeposito vel postposito urget id, quod tota sententia explicatur. Illa forma repetitionis, quam Madvigius epexegesin commode significat,[1]) praecipue quae dilucidas faciat res idonea est. Exempla huius modi dicendi, qui non abhorrere videtur a sermone cotidiano,[2]) non pauca leguntur in oratione Caeciniana: De epexegesi.

24. „dicam ... hoc, ut ne ... credatis“

25. „hoc dicit, armatos homines fuisse“

ibid. „hoc praedicat, ... se imperasse“

39. „hoc quam habet vim, ut distare ... videatur, utrum ... expellar ac deiciar an ... occurratur?“

40. „Hoc est periculosum, dissolvi hoc interdictum.“

ibid. „illud est turpissimum, ... homines condemnari.“

44. „testis hoc dixit, ... se ... demonstrasse.“

45. „hoc quidem iam vetus est ... ut statim testificati discederent.“

---

[1]) Madvig, Cic. de fin. 1876[3] p. 44. Conferas etiam Seyffert-Müller, Cic. Lael. 1876[2] p. 160 sq. Cl. Otto, de epexegeseos in Latinorum scriptis usu. Monast. 1912 p. 63 sq.

[2]) cf. Koehler, l. c. p. 417.

46. „ne hoc vos statuatis, qui vivus discesserit, ei vim non esse factam."
ibid. „ne hoc omnibus ... praescribatis, ut confligendum sibi et armis decertandum putent."
47. „non modo non erit cur depugnare quisquam ... velit, sed ne illud quidem cur repugnare."
49. „deiectus quem ad modum sit, qui non accesserit, id quaeritur".
52. „Servolis hoc nostris concesserimus ut ad verba nobis oboediant, non ad id quod ex verbis intellegi possit obtemperent."
56. „sibi hoc proposuerint **ut**, sive me tu deieceris sive tuorum quispiam sive servorum sive amicorum, **ut** servos non numero distinguant, sed appellent uno familiae nomine."[1])
65. „illud ... mirum videbatur, te dicere iuris consultorum auctoritati obtemperari non oportere."
67. „id miror, te hoc in hac re alieno tempore ... defendisse, ...
ibid. illud ... defendi mihi mirum videri solet, nec iuris consultis concedi nec ius civile in causis semper valere oportere."
68. „id dicunt, non recte aliquid statuere eos, qui consulantur."
ibid. „hoc debent dicere non iuris consultis, sed hominibus stultis obtemperari non oportere."

---

[1]) Placet mihi quod delevit Clark, defendere secundum illud „ut", quod codices praebent. Is modus iterandi, qui aliis in orationibus Ciceronis exemplis inventis confirmatur, minime abhorrere mihi videtur praecipue ab orationis Caecinianae genere dicendi simplici et naturali. — Conferas O. Plasberg, Festschrift für Johannes Vahlen 1900 p. 243; Madvig, de fin. p. 415, adn. ad. 43; E. Loefstedt, l. c. p. 62. — Quam ob rem non vereor recipere prius illud „si" (Caec. 58: etiamsi — si), quod quamquam legitur in codicibus, idem delevit Clark.

69. „Crassus ... ita causam ... egit, ut hoc doceret, illud quod Scaevola defendebat, non esse iuris.“

70. „quod vobis venire in mentem ... necesse est, nihil esse in civitate tam diligenter quam ius civile retinendum.“

75. „hoc nos non obtinemus, ... deiectum esse eum, quem vi ... fugatum esse constat.“

78. „hoc dicam, nunquam eius auctoritatem nimium valere ...“

79. „Illud autem miror, ... cur eum auctorem vos pro me appelletis.“

ibid. „istam disputationem ... ingressus esset, non posse probari quemquam esse deiectum.“

83. „de quo fundo actum sit ..., id quaerendum esse dicis.“

88. „Hoc enim intellegitur ... eo restituas.“

ibid. „hoc optaret, ut ... fortuna restitueret.“

ibid. „hoc postulat, ut ... restituatur.“

90. „exoritur ... illa defensio, eum deici posse qui tum possideat.“

ibid. „illud attende, te iam ... esse depulsum.“

95. „hoc tibi respondeo, ascripsisse eundem Sullam in eadem lege.“

96. „primum illud concedis, non quicquid populus iusserit, ratum esse oportere.“

98. „Quaeri hoc solere me non praeterit, ... quem ad modum ... saepe nostri cives profecti sint.“

99. „hoc iudicat ... eum qui ... censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicavisse.“

103. „id non minus ... laborarit, ne inique contendere aliquid quam ne dissolute relinquere videretur“.

Legimus igitur 36 ies illam epexegesin in oratione Caeciniana, cum 8 tantum exempla praebeat Pompeiana:

18. „illud primum parvi refert, vos ... vectigalia ... reciperare."
20. „Potest enim hoc dici, belli genus esse ita necessarium ut sit gerendum."
21. „hoc vos intellegatis, ... L. Lucullum esse laudatum."
24. „fuit illud extremum, ut ... reditus magis maturus quam processio longior quaereretur".
32. Fuit hoc quondam ... populi Romani, longe a domo bellare."
46. „Age vero illa res quantam declarat ... auctoritatem, quod ... omnes huic se uni dediderunt."
48. „Hoc brevissime dicam, neminem umquam ... impudentem fuisse."
50. „ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, ut in eis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ..."

Atque in Rabiriana haec tantum exempla legimus:

8. „Nam quid ad id longam orationem comparem, ... hunc nec suae nec alienae pudicitiae pepercisse."
18. „Utinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc praedicare, C. Rabiri manu L. Saturninum ... interfectum!" (bis)
24. „Hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum eis fuerit C. Rabirius."

Leguntur igitur — ut breviter complectar — ea exempla in singulis paginis[1]) Caecinianae 1,12 ies, Pompeianae 0,35 ies, Rabirianae 0,4 ies.[2])

[1]) Comprehendunt singulae trium orationum tractationes Caecinianae 32,2 paginas, Pompeianae 22,8 paginas, Rabirianae 10,2 paginas.

[2]) Has differentias confirmant, quas supra commemoravi, orati-

Atqui sermonem vulgarem nimiae studere redundantiae pronominum,[1]) praecipue pronominis „is“,[2]) iam satis constat. Et sane magnopere efficit perspicuitatem pronomen demonstrativum abundanter adhibitum; exempli causa affero Caec. 21/22: De abundantia pronominis.

„Itaque primo cum in antiquum fundum ingredi vellet, quod ea proxime accedi poterat, frequentes armati obstiterunt. Quo loco depulsus Caecina tamen qua potuit ad eum fundum profectus *est* in quo ex conventu vim fieri oportebat; eius autem fundi extremam partem oleae derecto ordine definiunt. Ad eas cum accederetur, iste cum omnibus copiis praesto fuit servumque suum nomine Antiochum ad se vocavit et voce clara imperavit ut eum qui illum olearum ordinem intrasset occideret.“

Pronomen „is“ legimus in Caeciniana 233ies, in Pompeiana 98ies, in Rabiriana 26ies, i. e. in singulis paginis Caecinianae 7,2ies, Pompeianae 4,3ies, Rabirianae 2,5ies.[3])

Quae ratio confirmat sermonem elegantiorem — pariter ac poeseos — satis parce adhibere pronomen demonstrativum „is“.[4])

Scilicet nihil per se miri habent pronomina correlativa. Tamen ea nimis cumulata facere infracta enuntiata et amputata, ut a sermone eleganti aliena sint, facile intellegi potest. Sed perspicuitatem usu earum abundanti effici nemo neget. Itaque sedulo ea adhibet Cicero quibusdam locis Caecinianae. Exempli causa legas: De pronominibus correlatinis.

88/89. „Hoc enim intellegitur: VNDE DEICISTI,

---

ones tres: in singulis paginis Tullianae exstant exempla 1,5; Archianae 0,32; Catilinariae prioris 0,3. (Praebet Tulliana exempla 17, Archiana 3, Catilinaria prior 3.)

[1]) cf. J. H. Schmalz, Zeitschrift für d. Gymnasialwesen 1881 p. 117. Idem, Latein. Grammatik,[4] p. 671.

[2]) cf. Norden, Ant. Kunstpr. p. 301; Koehler, l. c. p. 415.

[3]) Conferas usum pronominis „is“ in orationis singulis paginis Tullianae (7,7 ies), Archianae (4,5 ies), Catilinariae prioris (2,4 ies).

[4]) Cf. J. H. Schmalz, Lat. Gram.[4] p. 622.

sive ex quo loco sive a quo loco, EO RESTITUAS. Hoc iam simplex est, in eum locum restituas: sive ex hoc loco deiecisti, restitue in hunc locum, sive ab hoc loco, restitue in eum locum, non ex quo, sed a quo deiectus est. Ut si qui ex alto cum ad patriam accessisset, tempestate subito reiectus optaret ut, cum a patria deiectus esset, eo restitueretur, hoc, opinor, optaret, ut a quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in salum, sed in ipsam urbem quam petebat, sic quoniam verborum vim necessario similitudine rerum aucupamur, qui postulat ut a quo loco deiectus est, hoc est unde deiectus est, eo restituatur, hoc postulat ut in eum ipsum locum restituatur. . . . Cum igitur praetor interdixerit, unde deiectus es, ut eo restituaris, tu hoc idem quod ego dico et quod perspicuum est interpretabere . . ."

Praeterea dignum puto quod afferam exemplum insigne hoc:

61. „Verum si quod erit armorum iudicium, tum ista dicito . . . Non enim reperies quemquam iudicem aut recuperatorem qui, tamquam si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum; sed perinde valebit quasi armatissimi fuerint, si reperientur ita parati fuisse ut vim vitae aut corpori potuerint adferre." [1])

De repetitionibus quibusdam.

Quantopere operam det Cicero ut intellegantur explicationes, licet videre praecipue in multis verborum et sententiarum repetitionibus, quibus abundat oratio Caeciniana. Eas repetitiones revocandas esse ad naturam generis simpliciter dicendi cum confirmaverunt complures viri doctissimi, tum argutissime exponit Norden in libro egregio illo qui inscribitur „Theos agnostos".[2]) Is autem modus dicendi

---

[1]) De correlatione vulgari „si — tum" cf. Kroll, or. p. 114. — De correlatione rara „tamquam — ita" cf. R. Kuehner-Stegmann, Ausführl. Grammatik der lat. Sprache, 1914, II, 2 p. 449 a.

[2]) Lips. 1913, p. 376, 377; adde adnotationes. Conferas etiam R. Helm, Philol. Suppl. 9 (1904) p. 520 sq.; Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 680.

maxime qui „doceat“ et „probet“ idoneus est.[1]) Exempla affero ex Caeciniana maxime eminentia:

10. „M. Fulcinius fuit, recuperatores, e municipio Tarquiniensi; qui et domi suae cum primis honestus existimatus est et Romae argentariam non ignobilem fecit. Is habuit in matrimonio Caesenniam, eodem e municipio summo loco natam et probatissimam feminam, sicut et vivus ipse multis rebus ostendit et in morte sua testamento declaravit. Huic Caesenniae fundum in agro Tarquiniensi vendidit temporibus illis difficillimis solutionis; cum uteretur uxoris dote numerata, quo mulieri res esset cautior, curavit ut in eo fundo dos conlocaretur. Aliquanto post iam argentaria dissoluta Fulcinius huic fundo uxoris continentia quaedam praedia atque adiuncta mercatur. Moritur Fulcinius ...“

12. „frueretur enim bonis cum eo quem suis bonis heredem esse cupiebat et ex quo maximum fructum ipsa capiebat.“

16. „Aebutio negotium datur. Adest ad tabulam, licetur Aebutius ... Fundus addicitur Aebutio; pecuniam argentario promittit Aebutius.“

23. „P. Dolabella praetor interdixit... ut unde deiecisset restitueret. Restituisse se dixit. Sponsio facta est. Hac de sponsione vobis iudicandum est.“

23. „Improbus fuit, quod homines coegit, armavit, coactis armatisve vim fecit.“

23. „. . . in eas ipsas res quas improbissime fecit testimonia sumpsit et eis in causa testimoniis utitur.“

29. „In eum quid dicam nisi id quod negare non possit, venisse in consilium publicae quaestionis, cum eius consili iudex non esset, et in eo consilio ... dixisse sibi liquere.“

84. „Ego enim tibi refero: si non sum ex eo loco deiectus quo prohibitus sum accedere, at ex eo sum

[1]) Sermonis iuris quoque perspicuitatem non raro repetitionibus effici docet Kalb, Arch. f. lat. Lex. I p. 84 sq.

deiectus quo accessi, unde fugi. Si praetor non distinxit locum quo me restitui iuberet, et restitui iussit, non sum ex decreto restitutus."

Inveniuntur etiam multae repetitiones in §§ 87 et 88.

Neque affero hoc loco repetitiones quas adhibet Cicero in enuntiatis inter se contrariis, figuram efficientes antitheseos. (Cf. infra p. 81 sq.).

Ad perspicuitatem autem videntur spectare hae quoque repetitiones:

Caec. 33. „Quod cum ita sit resque eiusmodi sit..."

35. „Quoniam ita dicis et ita constituis..."

39. „hoc quam habet vim, ut distare aliquid aut ex aliqua parte differre videatur..?"

54. „Testamento si recitatus heres esset pupillus Cornelius isque iam annos XX haberet..." [1])

Quibus addo has elocutiones abundantes [2]):

Caec. 23. „His rebus ita gestis."

47. „hoc si ita statuetis."

87. „Id adeo sic considerate.

Eiusmodi repetitiones neque in Pompeiana [3]) neque in Rabiriana omnino legimus. [4])

De formula „hoc est".

Secutus autem sermonem iuris, qui, ut efficiat dilucidam orationem, non raro adhibet formulam „id est", [5]) Cicero ipse quoque perspicuitatis causa [6]) formulam „hoc est" 7ies adhibet in oratione Caeciniana:

---

[1]) De hoc modo iterandi cf. Jahn-Kroll, Cic. Brut. p. 80: „Das ist aus der Umgangssprache entlehnt, die sich in der Deutlichkeit nie genug tuen kann."

[2]) cf. Madvig, Cic. de fin. p. 168; C. F. W. Müller, Cic. de off. Lips. 1882, p. 35 et 57.

[3]) Excipio formulam Pompeianae § 24: „Jam hoc fere sic fieri solere accepimus".

[4]) Nec Archiana nec Catilinaria I praebent huius omnis generis repetitiones, quas invenimus ut in Caeciniana sic in Tulliana; cf. Tull. 14, 20, 27/28, 30, 32, 34, 45.

[5]) cf. Kalb, Roms Juristen, Lips. 1890, p. 75.

[6]) cf. Krebs-Schmalz, Antib. I⁷ p. 797.

19. „istius ille fundus est, quem sine ulla controversia quadriennium, hoc est ex quo tempore fundus veniit, quoad vixit, possedit Caesenniae?"

57. „quasi quidam paene dominus, hoc est alieni iuris vicarius."

74. „usucapio fundi, hoc est finis sollicitudinis ac periculi litium, non a patre relinquitur, sed a legibus."

80. „Praetor . . . interdixit ut . . . eo restitueretur, hoc est quicumque is locus esset unde deiectus esset."

88. „postulat ut a quo loco deiectus est, hoc est, unde deiectus est, eo restituatur."

100. „solum vertunt, hoc est sedem ac locum mutant."

ibid. „receptus est in exsilium, hoc est in aliam civitatem."

Quae elocutio in oratione Pompeiana non exstat nisi semel: 7 „in vestris vectigalibus, hoc est in Asiae luce versari". Rabiriana ea elocutione prorsus vacat.[1])

De verborum auxiliarium abundantia quadam.

In numero auxiliorum, quae summae serviunt sermonis perspicuitati, imprimis esse ipsa verba auxiliaria quis est qui neget?[2])

Haudquaquam igitur mirum est saepissime exstare id genus verborum in Caeciniana, quae nihil affectat nisi perspicuitatem. Legas enim velim:

Caec. 48/49 „Responde si tibi videtur. In fundum Caecina utrum tandem noluit, an non potuit accedere? Cum te obstitisse et reppulisse dicis, certe hunc voluisse concedis. Potes igitur dicere non ei vim fuisse impedi-

[1]) Formula „hoc est" bis legitur in oratione haud magna Tulliana (§ 50); abest ab Archiana et a Catilinaria I.

[2]) In generibus dicendi cognoscendis utilissimum puto referre, quod scripsit Naegelsbach (Lat. Stilistik, 1905⁹ p. 420 [§ 98]) de eorum verborum ratione, „welche die Verhältnisse der Handlung dem Hörenden möglichst plan zu machen und alle Dunkelheit und Unbestimmtheit der Auffassung zu verbannen sucht. Was sie aber der Sprache an Deutlichkeit geben, das nehmen sie derselben an bündiger Kürze". — Scite disserit de his verbis etiam E. Loefstedt l. c. p. 207 sqq.

mento cui, cum cuperet eoque consilio venisset, per homines coactos licitum non sit accedere? Si enim id quod maxime voluit nullo modo potuit, vis profecto quaedam obstiterit necesse est; aut tu dic quam ob rem, cum vellet accedere, non accesserit. Iam vim factam negare non potes; deiectus quem ad modum sit, qui non accesserit, id quaeritur. Demoveri enim et depelli de loco necesse est eum qui deiciatur. Id autem accidere ei qui potest qui omnino in eo loco unde se deiectum esse dicit numquam fuit?"

Atque abundantia eminet imprimis verborum: possum, volo, nolo, oportet, necesse est, quae verba occurrunt in oratione Caeciniana 193 ies; contra oratio Pompeiana praebet ea verba 59 ies, Rabiriana 26 ies, id est in singulis paginis Caecinianae 6 ies, Pompeianae 2,6 ies, Rabirianae 2,5 ies.[1]) Qua ex ratione cognosci potest abhorrere a sermone elegantiore usum verborum auxiliariorum nimis abundantem.[2])

Atque dici potest de hac abundantia universa orationis Caecinianae, quod legimus apud Demetrium Phalereum: „μακρότερον μὲν οὕτως ἐγένετο ἴσως, σαφέστερον δέ“.[3])

De formulis quibusdam sermonis iuris propriis.

Similes esse proprietates quasdam et sermonis iurisconsultorum plani dilucidique et generis abundanter dicendi a Cicerone in oratione Caeciniana adhibiti iam supra[4]) exposui et exemplis nonnullis illustravi. Quibus addere hoc loco verba quaedam et elocutiones, quas defluxisse ex sermone ipso iuris satis apparet, non neglegam, cum demon-

---

[1]) Ut singula afferam, inveniuntur ea verba possum: Caec. 113 ies, Pomp. 41 ies, Rab. 13 ies; volo — nolo: Caec. 42 ies, Pomp. 13 ies, Rab. 9 ies; oportet Caec. 27 ies, Pomp. 5 ies, Rab. 4 ies., necesse est: Caec. 11 ies, Pomp. —, Rab. —.

[2]) Ea verba legimus in singulis paginis Tullianae 5,9 ies, Archianae 1,9 ies, Catilinariae I bis.

[3]) de eloc. cap. 198 [p. 43, 20 sq. Rad.].

[4]) p. 15 sq., 17, 25, 26.

strent Ciceronem, ne a proposito digrediatur, quam diligentissime se applicare ad verba interdicti, quod explicetur.[1]) Affero:

19. „arbitrum familiae „herciscundae“ postulare.[2])

23. „homines cogere armare, coactis armatisque vim facere.“ [3]) Ea coniunctio verborum legitur etiam Caec. 32, 91, 92; adde 20, 24, 35, 36, 63.

29. „sibi liquere“.[4])

32. habere „actionem“.[5])

33. ad „constitutum“ venire.[6])

34. „agere“ ex aliquo iure vel lege.[7])

35. „agere iniuriarum“; cf. ibid. „actio iniuriarum“.[8])

51. „stipulationes“.[9])

54. „pupillus“.[10])

Ibid. „usus et auctoritas“ fundi.[11])

55. „quo de agitur“.[12])

65. „aequum et bonum“ ius.[13])

72. sine „tutore auctore“ promittere.[14])

74. „aquae ductus, haustus, iter, actus“.[15])

Ibid. „usucapionem“ fundi relinquere.[16])

---

[1]) Agitur praecipue interdictum „de vi armata“.

[2]) cf. W. Rein, Das Privatrecht und der Zivilprozeß der Römer. Lips. 1858 p. 839.

[3]) cf. H. Boegli, Über Ciceros Rede für A. Caecina. Burgdorf 1906 p. 42 sq.; G. Landgraf, Cic. or. pr. Rosc. Am. Lips.^{2} p. 81.

[4]) cf. Boegli l. c. p. 29.

[5]) cf. Rein p. 852 sq.

[6]) cf. Rein l. c. p. 729.

[7]) cf. W. Kalb, Wegweiser in die röm. Rechtssprache, Lips. 1912, p. 4.

[8]) cf. Rein l. c. p. 750.

[9]) cf. Rein l. c. p. 659.

[10]) cf. Krebs-Schmalz, Antib. II^7 p. 427.

[11]) cf. Rein p. 247 sq.

[12]) cf. W. Kalb, Das Juristenlatein, Nürnb. 1888^2, p. 34.

[13]) cf. Jordan, Cic. pro Caec., Lips. 1847, p. 245.

[14]) cf. Rein l. c. p. 524 sq.

[15]) cf. Rein l. c. p. 314 sqq.

[16]) cf. Rein l. c. p. 246.

91, 92. „sponsionem vincere“ (cf. 91: „sponsionis condemnari“).[1])

92. „nec vi nec clam nec precario possidere“.[2])

94. „usus fructus“.[3])

97. „sacramentum“ iudicare (bis).[4])

Ibid. „lege agere“.[5])

102. „nexa“ tollere.[6])

De facetiis. Quoniam supremam legem esse generis tenuis vidimus perspicuitatem, ad delectum verborum et sententiarum magni ponderis est etiam illud quidem, quod habere videtur sermo tenuis hoc vulgare,[7]) ut libenter ambulet in leviter et facete dicendo.[8]) Atque ut adhibeat omne genus iocandi orator summissus Cicero postulat. „Huic generi (sc. tenui) orationis aspergentur etiam sales, qui in dicendo nimium quantum valent.“[9]) Ipse semper habitus est nimius risus affectator[10]) haud ignorans vim

---

[1]) cf. Jordan l. c. p. 276 sq.

[2]) cf. Boegli l. c. p. 33 sq.

[3]) cf. Rein p. 326.

[4]) cf. Rein l. c. p. 887.

[5]) cf. Rein l. c. p. 886 sq.

[6]) cf. Rein l. c. p. 649.

[7]) „Die gern witzelnde Umgangssprache“ commemorat G. Landgraf, Bemerkungen zu dem sermo cotidiamus in den Briefen Ciceros und an Cicero. Blätter für d. bayer. Gymnasialwesen 1880 p. 331; cf. etiam p. 325.

[8]) cf. Laurand l. c. p. 222: „Le plus reconnaissable (sc. des traits caractéristiques du tenue genus dicendi) — et il ne l'est pourtant pas toujours, — c'est, je crois, l'emploi de la plaisanterie. Le style ‚simple‘ étant le moins oratoire de tous, celui qui se rapproche le plus de la conversation, il est naturel, qu'au lieu d'y faire appel aux grands effets pathétiques, aux figures hardies, on y triomphe par la gaieté et les bons mots.“

[9]) or. 87.

[10]) cf. Cic. ad. fam. VII 32; or. pro Planc. 35; Laurand l. c. p. 223; Norden, Antike Kunstpr. p. 232, adn. 1. — De facetiis fusius disputat Cicero de or. II 216–289; conferas etiam Laurand l. c. p. 222—240; P. Faulmüller, Über die rednerische Verwendung des Witzes und der Satire bei Cicero, Erl. 1905.

illius facultatis, cum conciliaret benevolentiam, frangeret adversarium, severum mitigaret; quare recte dicere poterat: „Multis in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi“.[1]) Atque ipsum salsum Cicero „vel maxime Atticum“ [2]) dicit, et alio loco „quidquid — inquit — est salsum aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est, e quibus tamen non omnes faceti“.[3]) Atque eandem Lysiae facultatem commemorat ibid.: „Lysias satis (sc. facetus erat)“.[4])

Usus est autem Cicero ipse satis copiose omni genere ridiculi in oratione Caeciniana. Salse describit — ut proprium fuit comoediae — et corporis et animi vitia adversariorum. Itaque Aebutium per contemptionem increpat acerbissimis verbis 14: „Quam personam iam ex cotidiana vita cognostis, recuperatores, mulierum adsentatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimium litigiosi, contriti ad Regiam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres periti iuris et callidi, hanc personam imponite Aebutio.“ Neque minus effecisse arbitror risum quaestionem his verbis interpositam: „mandat (sc. mulier) ut fundum sibi emat, — cui tandem? — cui putatis?“ (15), cum Aebutium dici omnes scirent. Atque illum dicit per ludibrium „virum optimum“ (16), nam nequissimum quemque Cicero libenter cum ironia „virum bonum“ vel „virum optimum“ appellare solet.[5]) Jocose etiam dictum est „Aebutio sextulam (i. e. granum tantum magnae hereditatis) aspergit“ (17). Cum vero, quo facetius fieri non poterat, testium recenseret Cicero numerum (24—30), qui risu se abstineret neminem fuisse credo.[6]) Salse describit

---

[1]) De or. II 219.

[2]) or. 89.

[3]) or. 90.

[4]) De Lysiae facultate iocandi cf. Demetr. Phal. de eloc. cap. 128 (p. 30, 15—18 Rad.); auct. περὶ ὕψους cap. 34, 2; conferas etiam Berbig l. c. p. VIII.

[5]) cf. Quint. inst. or. IX 2, 45; G. Landgraf, Cic. pr. Rosc. Am Lips.[2] p. 60.

[6]) cf. Faulmüller l. c. p. 68.

P. Rutilium, qui homo vaniloquuns et mendax fuisse videtur (27): „Hoc idem P. Rutilius dixit, et eo libentius dixit ut aliquando in iudicio eius testimonio creditum putaretur". Neque minus urbane figura Caesennii, qui obesus et crassus fuisse dicitur, ad ludum et iocum abutitur, cum „non tam auctoritate gravi quam corpore" (27) eum esse dicit; atque Sex. Clodium Phormionem festive comparat propter eius improbitatem cum Terentiano Phormione (27).[1]) Postremo prehendit Fidiculanium Falculam testem quem, ut solet in enumerandis vitiis vel virtutibus hominis nomen in fine addere,[2]) his irridet verbis (28): „Decimo vero loco testis exspectatus et ad extremum reservatus dixit, senator populi Romani, splendor ordinis, decus atque ornamentum iudiciorum exemplar antiquae religionis, Fidiculanius Falcula". Qua collocatione verborum Cicero efficit ut hilaritas audientium expectatione suspensorum maxime excitetur, praesertim cum id dictum sit elegantissima cum ironia. Atque salse pergit orator in describendo (ibid.): „qui cum ita vehemens acerque venisset ut non modo Caecinam periurio suo laederet sed etiam mihi videretur irasci, ita eum placidum mollemque reddidi, ut non auderet, sicut meministis, iterum dicere quot milia fundus suus abesset ab urbe. Nam cum dixisset minus IϽϽϽ, populus cum risu adclamavit ipsa esse. Meminerant enim omnes quantum in Albiano iudicio accepisset". Atque acerbissime obiurgat avaritiam testis dicens (30) „eum non adfuisse animo cum causa ab illis ageretur testesque dicerent, sed tantisper de aliquo reo cogitasse" i. e. cogitasse, num tantum quantum in Oppianici iudicio iterum lucrificare posset. Facete appellatur Falcula „veterator" (30), ut nos dicimus „alter Schelm, alter Fuchs". Itemque maxime est ludicrum quam eleganti ironia Cicero se significat „hominem

---

[1]) cf. Quint. inst. or. VI 3, 56; Faulmüller l. c. p. 68; cf. etiam Terent. Phorm. ed. Dziatzko-Hauler, Lips. 1913⁴ p. 82 et p. 104.

[2]) cf. Cic. pr. Quinct. 74; Sex. Am. 7, 26; Phil. V, 42.

imperitum iuris, ignarum negotiorum ac litium“ (32) et „non copiosum hominem ad dicendum“ (64); addo dictionem „cupio discere“ (37), qua facete se significat iuris discipulum; multas enim iam tractaverat causas et vicerat facultate sua magna dicendi. Urbane etiam deridet aucupium verborum (52 sqq.), atque ut ostendat obtemperandum esse legum non verbis sed voluntati, per ludibrium leges quasdam perverse interpretando explicat.[1] Verbis „si quod erit armorum iudicium“ (61) facete ad inscriptionem Pacuvii fabulae respexisse videtur.[2])

Atque ut omnino Cicero postulat ut orator summissus excludat a suo sermone granditatem, sed „utatur verbis quam usitatissimis“,[3] ita ipsam illam rationem dicaciter et facete dicendi, quae totam fere orationem Caecinianam implet, sermoni *colorem quendam vulgarem* attribuere apparet. Idem quibusdam aliis rebus affectatur.

De nominibus substantivis in „tor“ exeuntibus.

Ac primum adhibendo nomina substantiva in „tor“ exeuntia, quae proprietatum *perpetuitatem* indicare solent,[4] aliquoties Cicero efficit, ut macula per ludum et indignationem designetur adversarii.[5] Legimus „adsentator“ (14),[6] „cognitor“ (ibid),[7] „veterator“ (30),[8] „calumniator“ (65),[9] „inventor“ (85),[10] „probator“ (ibid).[11] Quae verba

[1]) cf. Faulmüller l. c. p. 36 sq.

[2]) cf. Jordan l. c. p. 238.

[3]) or. 85. — Etiam Lysiam adhibuisse „κοινὰ καὶ εν μέσῳ κείμενα ὀνόματα“ legimus Dion. Hal de Lys. cap. 3 (vol. I p. 10, 7/8 U.-R.).

[4]) cf. Nägelsbach l. c. § 54, 1; R. Helm, Gött. Gel. Anzeig. 1911 p. 351.

[5]) cf. Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 607; Nägelsbach l. c. § 54, 2; Laurand l. c. p. 43.

[6]) cf. Piso 70.

[7]) cf. Qu. Rosc. 32, 38, 53, 54; Verr. I 13; II 106, 107, 109; III 78, 137; V 167, 168; div. i. Caec. 11; Cat. IV 9; har. resp. 45.

[8]) cf. Qu. Rosc. 22; Verr. III 35.

[9]) cf. Quinct 87; Verr. I 27; II 22, 25, 26; Cluent. 163.

[10]) cf. Verr. III 41; IV 128, 139.

[11]) cf. Phil. II 29.

neque in oratione Pompeiana neque in Rabiriana inveniuntur, atque recte quidem mihi iudicare videtur de eorum usu Laurand: „Non pas assurément que beaucoup d'entre eux ne se rencontrent, même fréquemment dans le style élevé. Mais la langue familière a plus de liberté".[1])

De deminutivis.

Eadem in deminutiva ratio cadit, quippe quae orationi ioci et leporis aliquid aspergere videantur.[2]) Neque desunt ea verba in Caeciniana; ut legimus: „sextula" (17, ibid, ibid, ibid, 19),[3]) „servulus" (52, 55, 58, ibid),[4]) „tantulum" (58),[5]) „adulescentulus" (97).[6]) Contra oratio Pompeiana praebet tantummodo „adulescentulus" (61), cum legamus in Rabiriana „articulus" (6) et „curriculum" (30), pro quibus tamen verbis ne poterant quidem substitui simplicia „artus" et „currus".

De verbis compositis praepositione „per" effectis.

Neque negari potest ut omnino verbis compositis ita eis quae praepositione „per" efficientur colorem inesse quendam vulgarem, quare parcius iis utitur sermo elegantior.[7]) Itaque in Caeciniana multa exempla nobis occurrere haud mirum est, ut „permagnus"

---

[1]) Laurand l. c. p. 287.

[2]) cf. Laurand l. c. p. 261; Nägelsbach l. c. § 46 p. 193 sq. — De usu Ciceroniano conferas Schmalz, Lat. Gram. p. 674. „Cicero gebraucht Diminutiva überall da, wo er der Umgangssprache Raum giebt, also namentlich in epp., aber auch in den Reden, doch mehr in den Gerichts-, als in den Staatsreden."

[3]) cf. supra p. 31.

[4]) cf. Rosc. Am. 141; Quinct. 27; Cluent. 175; Pis. 88.

[5]) cf. Rosc. Am. 114, 118, 130; div. i. Caes. 72; Verr. II 93, 124; V 176, 181; dom. 73; Pis 42.

[6]) cf. Rosc. Am. 39; Verr. III 3; div. i. Caec. 68; Cluent. 21, 36; Flacc. 51, 89; dom. 37; Cael. 33, 36; Balb. 16; Planc. 27; Phil. VIII 14, XI 20, XIV 7.

[7]) cf. Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 634 sq.; Loefstedt l. c. p. 92; Laurand l. c. p. 275.

(79),[1] „perpauci“ (26),[2] „permultus“ (20, 55, 101),[3] „pertenuis“ (47),[4] „percommode“ (77),[5] „peracutus“ (84).[6])

Contra sermo sublimis *Rabirianae* nullum praebet exemplum.[7]

Sed qui tandem fit ut *Pompeianae* sermo re vera elegans in deliciis habeat hoc genus verborum? Causa meo quidem iudicio haud difficilis est intellectu. Pompeianae enim λόγον ἐπιδεικτικόν libentissime adhibere *vocabula plena et amplificantia* infra[8] cognoscemus, quare formae *superlativi* saepissime occurrimus in hac oratione.[9] Atque ipsa composita praepositione augente „per“ effecta plene graviterque sonantia pariter ac superlativi in Pompeiana amplificationi servire mihi videntur, ut egregie docet exemplum hoc:

9. „*maximas* aedificasset ornassetque classes exercitusque *permagnos* quibuscumque ex gentibus potuisset, comparasset“.

Praeterea legimus in hac oratione: „permultus“ (19, 21, 52, 54), „perbrevis“ (16),[10] „peradulescens“ (61),[11] „periniquus“ (63).[12]

Neque praetereundum esse puto *verbum* „*opinandi*“, De verbo „opinandi“.

---

[1]) Hoc compositum legitur in Ciceronis orationibus 22ies; exempla affert Laurand l. c. p. 264sq.

[2]) Hoc comp. legitur i. Cic. orationibus 14ies; exempla affert Laurand l. c. p. 265sq.

[3]) Hoc comp. legitur in Cic. orationibus 42ies; exempla affert Laurand l. c. p. 266sqq.

[4]) cf. Verr. act. pr. 17; Cln. 168; l. agrar. II 87.

[5]) cf. Verr. act. pr. 5.

[6]) cf. Verr. II 108, 127; Planc. 72; Phil. III 21.

[7]) Dictum est Rab. 21 „admodum adulescens“ nescio an pro deminutivo „adulescentulus“ vel pro composito „peradulescens“.

[8]) cf. infra p. 39 sqq.

[9]) cf. infra p. 41 sq.

[10]) cf. Rosc. com. 30; Verr. III 22, V 142.

[11]) In ceteris Ciceronis orationibus exempla desunt.

[12]) Exempla desunt.

quod semel tantum legimus in Pompeiana (21),[1]) frustra autem quaeres in Rabiriana, saepissime exstare in Caeciniana (21, 49, 55, 60, 62, 79, 88, ibid., 89), idque ut in sermocinandi genere quasi temere plerumque intermixtum. Quod verbum iudicat Cl. Lindskog „vim habere et affirmantem et ironiae plenam",[2]) quam ironiam praecipue huius orationis propriam supra satis cognovimus.

De elocutionibus quibusdam vulgaribus. Quibus adiungam voces quasdam et elocutiones quae proximae levi huic sermoni colorem habent vulgarem; quo spectant interrogationes:

„quid ais" (19, 31, 41, 49);[3])
„quid ergo est"? (34);[4])
„quid huic tu homini facias"? (30);[5])
„nonne"? (nude positum) (37);[6])
„quid igitur fugiebant"? (44)[7]) (pro „cur fugiebunt"?).
„ain tu"? (49)[8])

Huc etiam pertinet illud, quod in sermone communi usurpare solent, „quid? si ..."[9]) quod legimus bis in Caeciniana:

---

[1]) „Satis opinor hoc esse laudis."

[2]) Cl. Lindskog, Quaestiones de parataxi et hypotaxi apud priscos Latinos, Lund. 1896, p. 17.

[3]) cf. Rosc. Am. 43, 80; Quint. Rosc. 17; Verr. III 40, 106; Cluent. 186. — De hac elocutione cf. Landgraf, pro Rosc. Am., Lips. 1914^2, p. 100.

[4]) cf. Quint. 6, 11, 57, 73, 94; Rosc. Am. 55, 80; Quint. Rosc. 15; Tull. 5; Cluent. 144, 148. — Conferas Landgraf, pro Rosc. Am.^{2} p. 90 sq.

[5]) Legas similia exempla quae afferunt Kuehner-Stegmann, Gramm. der lat. Sprache II 1^2 p. 321.

[6]) cf. Planc. 59. — Conferas etiam Krebs-Schmalz, Antib. II^7 p. 160; Hellmuth l. c. p. 139.

[7]) De hac elocutione *κωμικῆς λέξεως* propria cf. E. Norden, Verg. Aen. VI, Lips. 1903 (ad vers. 389 sq.).

[8]) cf. Jahn-Kroll, Brut. p. 108: „ain tu? ..: „der Umgangssprache entlehnt, führt ironisch eine Widerlegung ein."

[9]) E. Stroebel, Tulliana, Muench. 1908, p. 14, cf. Brix, Plaut. Capt. Lips. 1897 p. 61.

49. „Quid? si fuisset et ex eo loco metu permotus fugisset, cum armatos vidisset, diceresne esse deiectum“?

89. „Quid? si qui iam de foro redeuntem armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit, quid ages?“

Nec minus vulgaris quidam color inest elocutionibus „mihi certum est“ (24)[1] et „licitum est“ (48),[2] quae imprimis sunt adhibitae a comicis poetis. — Etiam adv. „intro“ (13) comicorum potissimum est.[3] — Adv. autem „perperam“ (69, 71) „ex iuris consultorum sermone ab hominibus plebeis receptum est“.[4] — Formam vero perfecti contracti vulgarem „dixti“ (82)[5] licet Cicero adhibuerit in hac oratione melioris clausulae causa, attamen oratorem, si grandius dicere voluisset, eam vitaturum fuisse persuasum habeo.

Certe popularis quidem fuisse videtur imperativus futuri;[6] quam formam legimus bis in hac oratione 60 et 61: „dicito“. Atque profectae sunt item ex sermone

---

[1]) cf. Rosc. Am. 31, 83; Verr. act. pr. 53; Cluent. 1. Conferas etiam Landgraf, de Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sex. Rosc. Amerino conspicua, Wirceb. 1878, p. 23.

[2]) cf. Rosc. com. 32; Verr. act. pr. 14; III 113, 116; V 76, 129; Cluent. 130, l. agr. II 3. Conferas etiam J. H. Schmalz, Zeitschrift 1881 p. 97.

[3]) cf. Hellmuth l. c. p. 116. — De hoc adverbio, quod omisit Merguet, iudicant Krebs-Schmalz, Antib. I[7] 778 „Es ist ein Wort der Umgangssprache, es findet sich selten bei Cicero.

[4]) Landgraf, de elocutione e. q. s. p. 29. — Cf. Cic. Quinct. 31; Verr. II 33, 34, 57.

[5]) cf. R. Klotz, Handbuch der latein. Stilistik, Lips. 1874, p. 184; Kuehner-Holzweißig, Grammatik der lat. Sprache, Han. I[2] 1912 p. 666; Terent. Phorm. ed. Dz.-Haul.[4] p. 70.

[6]) cf. Reisig-Haase, Vorles. üb. latein. Sprachwissenschaft III, it. ed. Schmalz-Landgraf, Berol. 1888, p. 506 adn. 508; Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 481 sq. — Legitur imp. fut. in Cic. orationibus: Rosc. Am. 18, 57, 93, 109, 118; div. in Caec. 13; Verr. I 156; II 81; III 25, 72; IV 55; V 19, 135, 154; Clu. 18; l. agr. II 16; Mur. 65; Sest. 31; Vat. 10; Cael. 22, 79; Planc. 48; Marc. 27; Phil. VI 17; XII 28. Cf. etiam J. Lebreton, Études sur la langue et la grammaire de Cicéron. Par. 1891, p. 194 sqq.

vulgari elocutiones „si tibi videtur“ (dativo adiecto) 48 [1]) et „ibi tum“ (27).[2])

Accedunt denique nonnullae elocutiones vocesque vulgares, quas quidem cum referendae sint ad translationes quasdam vulgares, infra tractabimus.[3])

II. **De oratione Pompeiana.**

Oratio **Pompeiana** haudquaquam illam subtilem, quae maxime exsistit in Caeciniana, perspicuitatem affectat. Qua de causa rarissime legimus eas proprietates vulgares [4]) et elocutiones abundantes nimis cumulatas, quae imprimis reddunt dilucidum planumque sermonem. Sane abundantem quidem esse sermonem orationis Pompeianae negari haud potest, sed ea est abundantia arte quadam rhetorica effecta, quae — quod sibi proposuit ἡ ἐπίδειξις — vult delectare audientium sensum et aures. Illas autem Caecinianae proprietates non ad aures delectandas sed saepius ad onerandas esse idoneas vix est qui neget.

De facilitate et aequabilitate sermonis mediocris.

Sed quid est quod maxime sit proprium orationis Pompeianae praebentis genus illud medium? Hic sermo „sedate placideque liquitur,“ [5]) atque qui studet ei orator, „uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit nihil adferens praeter facilitatem et aequabilitatem“.[6])

---

[1]) cf. Quinct. 19; Mur. 60. — Conferas etiam Schmalz, Zeitschr. 1881 p. 113.

[2]) cf. Quinct. 16; Tull. 20; Verr. III 139. — Conferas etiam Landgraf, pro Rosc. Am.² p. 37.

[3]) p. 102 sqq.

[4]) De hac gravi differentia orationum ad sermonem familiarem pertinente recte indicat L. Laurand l. c. p. 287, 2: „On pourrait se demander si elles (les expressions familières) ne s'expliquent pas par des raisons chronologiques. Mais l'intervalle entre les discours est peu considérable (le *Pro Caecina* est de 69 ou 68; le *De Imperio Cn. Pompei* de 66), et comme les expressions familières reparaissent plus tard dans d'autres discours ou parties de discours „simples“, on peut conclure avec certitude que le genre choisi est ici la raison principale des différences signalées.“

[5]) or. 92.

[6]) or. 21. — Cf. de or. II 129.

Turbare autem et impedire hanc aequabiliter profluentem orationem vocabula parva et minuta frequenter adhibita, velut — in quae persaepe incidimus in Caeciniana — pronomina demonstrativa et correlativa nimis cumulata elucet, cum facile infracta reddant enuntiata. Itaque abhorrere a sermone grandiore vocabula exigua et brevia iam cognoverant rhetores veteres, ut auctor qui scripsit de sublimitate: *„ἀμεγέθη καὶ τὰ λίαν συγκείμενα καὶ εἰς μικρὰ καὶ βραχυσύλλαβα συγκεκομμένα.“* [1]) Longa autem et plena vocabula sermonis sonum faciunt dulcem et sedatum verborumque comprehensionem et numerum maxime augent.[2])

Vocabulorum amplitudo magnae est gravitatis ad sermonem.

Minime igitur miramur legentes in Pompeianae singulis paginis [3]) tantummodo 271 fere verba, cum praebeant Caecinianae singulae paginae 292 fere vocabula. Atque revocandus est vocabulorum delectus magna ex parte ad indolem ipsam orationis, quam dicere licet carmen, quod in Pompei honorem orator canit; neque Pompei solius laudes canit, sed personae vel res quaecunque habent aliquid rationis cum eo, laudantur vel vituperantur[4]) per totam fere hanc orationem.[5]) Quam ad rem maximae etiam gravitatis est amplificatio vel gradatio, cum proprium sit *ἐπιδείξεως „τὰ σμικρὰ μεγάλα καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιεῖν“*.[6])

---

[1]) cap. 41 (p. 77, 16—17 J.-V.[4]). Cf. Quint. inst. or. IX 4, 42; IX 4, 136.

[2]) Itaque acute iudicat W. Wundt (Völkerpsychologie. Die Sprache, 1904[2] II p. 396): „Je länger das Wort, um so mehr nähern sich die Betonungsverhältnisse denen des Satzes, d. h. die Betonung wird freier, gestattet dem jeweiligen Einfluß des Gefühlstons und der rhythmischen Gliederung einen breiteren Spielraum.“

[3]) Dico hoc loco paginas C. F. W. Muelleri editionis.

[4]) cf. Arist. rhet. I c. 3, 1358 b 12 sq.: *„ἐπιδεικτικοῦ δὲ τὸ μὲν ἔπαινος τὸ δὲ ψόγος.“*

[5]) cf. Pomp. 36 „Summa enim sunt omnia (in Pompeio) sed ea magis ex aliorum contentione quam ipsa per sese cognosci atque intellegi possunt“ ibid. 67 „Quasi vero Cn. Pompeium non cum suis virtutibus tum etiam alienis vitiis magnum esse videamus“.

[6]) Plat. Phaedr. 267 B. Cf. etiam Isocr. or. XI 4.; Quint. inst. or. III 7, 6. — R. Volkmann l. c. p. 321.

De nominibus quibusdam virtutes vel vitia significantibus.

Itaque frequentat Cicero in Pompeiana nomina illa significantia proprietates virtutes vitia quibus affectae sunt personae vel res. Quae nomina, ut longiora fere sunt et pleniora, magnopere idonea sunt quae sermonem reddant dulciter et placide sonantem, praesertim cum adhibeat ea Cicero libenter cumulata vel synonyma vel coniuncta cum genitivo vel adiectivo ornante. Affero nonnulla exempla imprimis evidentia[1]:

13. „hunc ... vident tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate ut ii beatissimi esse videantur.“

14. „Asia ... tam opima est ac fertilis, ut et ubertate agrorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum quae exportentur facile omnibus terris antecellat.“

19. „Qua re videte num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium coniunctae cum re publica defendantur.“

20. „quam (urbem) L. Lucullus virtute, adsiduitate, consilio summis obsidionis periculis liberavit.“

36. „Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores, quanta deinde in omnibus rebus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate!“

44. „Qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est unius hominis spe ac nomine, quantam vix in summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset.“

49. „Qua re cum ... ei (sc. bello) imperatorem praeficere possitis in quo sit eximia belli scientia, singularis

---

[1]) Numeravi ea nomina in Pompeianae singulis paginis 12 fere, cum tantummodo 5 fere ea praebeant Caecinianae singulae paginae. — Singulae pag. Archianae 11, Tullianae 5, 3 exempla praebent.

virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna, dubitatis, Quirites, quin hoc tantum boni quod vobis ... datum est in rem publicam conservandam atque amplificandam conferatis?"

59. „Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere et integritate tueri et virtute conficere possit."

61. „Fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute."

68. „est C. Curio, summis vestris beneficiis maximisque rebus gestis, summo ingenio et prudentia praeditus, est Cn. Lentulus in quo omnes pro amplissimis vestris honoribus summum consilium, summam gravitatem esse cognostis, est C. Cassius, integritate, veritate, constantia singulari."

Ad quae adiungamus vocabula illa non minus plena, amplificantia, dulciterque sonantia, dico superlativos, quos praecipue cumulat Cicero in Pompeiana et frequentat.[1]) Exempli causa affero: De usu superlativi.

20. „In quo (bello) maxime laborandum est ne forte ea vobis quae diligentissime providenda sunt contemnenda esse videantur. Atque ut omnes intellegant me L. Lucullo tantum impertire laudis quantum forti viro et

---

[1]) Praebent Pompeiana singulae paginae superlativi exempla 4, Caecinianae tantummodo unum. Sing. pag. Archianae 4, 5, Tullianae 1, 3 exempla praebent. — Frequentatio formae superlativi valde gratiosa fuisse videtur in sermone laudationum funebrium, ut quidem docet exemplum illud, quod affert C. Plinius Sec. (nat. hist. VII 43, 139), laudationis L. Caecili Metelli habitae a Quinto filio, qui scriptum reliquit „decem maximas res optumasque, in quibus quaerendis sapientes aetatem exigerent, consummasse eum (sc. L. Caecilium Metellum). Voluisse enim primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti, summa sapientia esse, summum senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere et clarissimum in civitate esse. Haec contigisse ei nec ulli alii post Roman conditam". (cf. F. Vollmer, Neue Jahrb. XXIII 1891 p. 480.)

sapienti homini et magno imperatori debeatur, dico eius adventu maximas Mithridati copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse, urbemque Asiae clarissimam nobisque amicissimam Cyzenicorum oppressam esse ab ipso rege maxima multitudine et oppugnatam vehementissime."

51. „At enim vir clarissimus, amantissimus rei publicae, vestris beneficiis amplissimis adfectus, Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingeni praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt. Quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi cognostis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem, atque hoc facilius quod ea omnia quae a me adhuc dicta sunt idem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia."

De particulis comparativis.

Atque multum etiam ad laudationem valere contentionem et comparationem Cicero haud ignorabat. Quare ipse quidem dicit: „Summa enim sunt omnia (in Pompeio), Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione quam ipsa per sese cognosci atque intellegi possunt".[1]) Qui modus dicendi ad delectum verborum eam habet vim, ut legantur in hac oratione particulae comparativae non paucae, quod ad demonstrandum nonnulla exempla exscribere sat est:

14. „Ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt ut eis ad ipsas provincias tuendas vix contenti esse possimus, Asia vero tam opima est ac fertilis ut ... facile omnibus terris antecellat."

34. „Quis unquam aut obeundi negoti aut consequendi quaestus studio tam brevi tempore tot loca adire, tantos

---

[1]) Pomp. 36. Conferas etiam de or. II 348. — R. Heinze, Abhandl. d. K. Sächs. Ges. d. Wiss. (Phil.-Hist. Kl.) 1909 (27) p. 991.

cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeio duce tanti belli impetus navigavit?"

48. „Itaque non sum praedicaturus quantas ille res domi militiae, terra marique quantaque felicitate gesserit... hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse qui ab dis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare quot et quantas di immortales ad Cn. Pompeium detulerunt."

Sunt autem particulae illae comparativae quas praecipue orator adhibuit hae:

„tantus—ut" 14, 25, 27, 39, 42, 62, 68.
„tantus—tantus—tantus – ut" 13.
„tantus — quantus" 20, 25, 44.
„tantus" 5, 12, 27; ibid., 39, 43, 45, 49, 50, 57.
„quantus" 14, 26, 37, 42, 44, 46, 65.
„quantus — quantus — quantus — quantus — quantus — quantus" 36.
„quantus — quantus 42, 46, 48.
„quanti atque quam multi" 36.
„quam multi" 32, ibid., 60.
„tot et tanti — quot et quanti" 48.
„tot — tanti — tam" (adiectivo addito) 63.
„tot" 7, 11, 68.
„tam (adi. add.) — ut" 14, 31, ibid., 48 (qui).
„tam (adi. add.) — tam (adi. add.) — ut" 54 (qui).
„tantus — tam (adi. add.) — ut" 33, 59.
„tantus — tam (adi. add.) — tam (adi. add.) — tam (adi. add.)" 31.
„tantus — tam (adi. add.) — tam (adi. add.)" 35.
„tantus — tam (adi. add.)" 40, 43.
„tam (adi. add.) — quam" 61, ibid., ibid., 62, ibid., ibid.
„tam (adi. add.)" 44, 55, 58.
„tam (adi. add.) — tam (adi. add.) — tam (adi. add.)" 46.

Neque praebet oratio Caeciniana eorum exemplorum tantum numerum quantum Pompeiana; legimus enim in Caeciniana:

„tantus — ut“ 18, 23, 34,[1]) 40, 51, 78.[2])
„tantus — quantus 56.
„tantus“ 34,[3]) 34, 35, 38, 40.
„quantus“ 18, 28, 64.
„quam multi“ 90.
„tot“ 78.[4])
„quot“ 28, 93.
„tam (adi. add.) — quam“ 21, 27, 33, ibid., 70.
„tam“ (adi. add.) 20, 37.
„tam (adi. add.) — tam (adi. add.)“ 37.[5])

Quibus generibus verborum — et nominibus abstractis et superlativis et particulis comparativis — nullum dicendi genus carere posse prorsus inutile est dictu; sed hoc satis cognovimus eorum copiam non tantam esse in oratione Caeciniana quantam legimus in Pompeiana.

Contentio vocabulo „unum“ addito augetur.

Atque orator ut augeat contentionem in Pompeiana, cum contraria opponat, vocabulum „unum“

---

[1]) Conferas autem infra p. 51.
[2]) cf. infra p. 51.
[3]) cf. infra p. 51.
[4]) cf. infra p. 50.
[5]) Eaedem fere sunt differentiae Archianae et Tullianae; legimus enim in Archiana:
„tantus“ 5, 11, 12, 12, 12, 16, 17.
„tot“ 9, 12.
„quantus — quantus — quantus — quantus — quantus — tantus“ 13.
„tantus — ut“ 9.
„quantuscumque“ 9.
„tot et tanti“ 14.
„quam multi“ 14, 24.
„tam (adi. add.) — ut“ 17, 20, 30.
„tam (adi. add.)“ 18.
„tam (adi. add.) — tam (adi. add.) — tantus“ 28.
„quotiens — quotiens — quotiens“ 18.
„tantus — tot — totiens“ 29.
Contra in Tulliana legimus: „tantus — ut“ 21; „quantus“ 14; „tam multi“ 21, 38; „tam (adi. add.) — tam (adi. add.) — tam (adi. add.) 22, 42; „tam (adi. add.) — quam“ 49.

libenter adhibet, idque quidem additum quo maior vis accrescat verbis oppositis ex arte rhetorica.[1]) Legimus enim:

5. „unum ab omnibus ... deposci."

7. „uno die tota in Asia tot in civitatibus uno nuntio atque una significatione ... curavit."

9. „duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis hostium copiis bellum ... gereretur."

11. „tot milibus civium ... uno nuntio atque uno tempore necatis."

13. „unum virum esse in quo summa sint omnia."

16. „una excursio ... perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit."

19. „Non enim possunt una in civitate multi rem ac fortunas amittere ut non pluris secum in eandem trahant calamitatem."

21. „urbis ... permultas uno aditu ... esse captas."

28. „varia et diversa genera ... bellorum ... gesta (esse) ab hoc uno."

31. „testes (sunt) ... in singulis oris omnes sinus atque portus."

31. „quis umquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse (hoc bellum)?"

33. „tantamne unius hominis ... virtus tam brevi tempore lucem adferre ... potuit?"

35. „omnes qui ubique praedones fuerunt partim capti interfectique sunt, partim unius huius se imperio .. dediderunt."

44. „unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoposcit?"

ibid. „tanta repente vilitas ex summa inopia et caritate ... consecuta est unius hominis spe ac nomine."

46. „ex locis tam longinquis tamque diversis tam brevi tempore omnes huic se uni dediderunt."

---

[1]) cf. Seyffert-Mueller, Lael.[2] p. 320; ibid. p. 9 et 27. Conferas etiam Kroll or. p. 72.

51. „in uno Cn. Pompeio summa esse omnia."

52. „Si uni omnia tribuenda sint, dignissimum esse Pompeium, sed ad unum tamen omnia deferri non oportere."

56. „Itaque una lex, unus vir, unus annus ... effecit ut ... videremini omnibus gentibus ac nationibus ... imperare."

59. „in uno Cn. Pompeio omnia poneretis."

ibid. „omnes una prope voce in eo ipso vos spem habituros esse dixistis."

60. „non dicam duo bella maxima ... ab uno imperatore esse confecta, duasque urbes potentissimas ... ab eodem Scipione esse deletas, non commemorabo nuper ita vobis ... esse visum, ut in uno Cn. Mario spes imperi poneretur, ut idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret."

62. „Tanta in eo ... spes constituebatur ut duorum consulum munus unius adulescentis virtuti committeretur."

ibid. „Quae in omnibus hominibus nova ... constituta sunt, ea tam multa non sunt quam haec quae in hoc uno homine videmus."

63. „vos unum illum ex omnibus delegistis."

67. „ad unum deferenda omnia esse non arbitrantur."

68. „Nolite dubitare quin huic uni credatis omnia qui inter tot annos unus inventus est, quem socii in urbis ... venisse gauderent." [1])

Satis docuisse mihi videor eas voces et elocutiones quae praecipue amplificationi et contentioni serviunt, plurimum valere in genere dicendi medio.

De repetitionis forma quadam rhetorica.

Nimirum alienae sunt ab hoc sermone, qui haudquaquam id ut „doceat" vel „probet" spectat repetitiones illae, quas ad perspicuitatem efficiendam permultas adhibet Caeciniana;

---

[1]) In Caeciniana legimus tantummodo: 34: „tantarum rerum ... hoc genus unum". 59: „re tamen erit unum et omnibus in causis idem valebit". 70: „aequabile inter omnis atque unum omnibus esse".

immo oratoria arte effectae sunt repetitiones huius orationis, ut hae:[1])

7. „uno nuntio atque una significatione."
11. „uno nuntio atque uno tempore."
15. „uno rumore periculi atque uno belli terrore."
19. „eadem Asia atque idem iste Mithridates."
ibid. „haec fides atque haec ratio pecuniarum."
21. „ad alios reges atque ad alias gentes."
27. „tantis rebus ac tanto bello."
31. „omnes orae atque omnes terrae gentes."
53. „hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium."
57. „eius imperatoris atque eius exercitus."
59. „minus certa est hominum ac minus diuturna vita."
67. „quibus iacturis quibusque condicionibus."

Contra Caeciniana praebet exempla tantum haec: 24. „meam defensionem meosque testis." 57. „tuo rogatu aut tuo nomine."

Atque ut placuit ipso in genere epidictico captare verba poetica et exquisita,[2]) ita haud praetereundas esse puto Pompeianae voces quasdam et elocutiones quibus inest color grandis quidam vel poeticus, ut verbum „gaza" (66), quod a Catullo (64, 46) et Lucretio (II, 37) primis Romanis adhibitum est.[3]) Itemque ipsi eleganti Pompeianae sermoni accommodatum esse duco numerum singularem

De vocibus quibusdam poeticis vel rhetoribus.

---

[1]) Eodem modo Lucretius idem adiectivum vel pronomen oratorie iterat, velut III 793 [ed. Brieger.] „in eodem homine atque in eodem vase". VI 775: „propter dissimilem naturam dissimilisque Texturas". IV 941: „corporis ad primas partis elementaque prima". V 345: „tantis morbis tantisque periclis". V 732: „ordine formarum certo certisque figuris". — Cf. Aem. Kraetsch, De abundanti dicendi genere Lucretiano, Berol. 1881, p. 29.

[2]) cf. Isocr. Antid. 47: „*τῇ λέξει ποιητικωτέρᾳ καὶ ποικιλωτέρᾳ τὰς πράξεις δηλοῦσιν* (*οἱ ἐπιδεικτικοί*)." Legas etiam F. Blass, Att. Ber. II² p. 114: „Der Kunstredner (= *ὁ ἐπιδεικτικός*) nähert sich auch im Schmuck der Worte dem Dichter." Praeterea videas A. Scheel, De Gorgianae disciplinae vestigiis, Rostock 1890, p. 34 sq.

[3]) cf. Kießling-Heinze, Hor. od. et epod., Berol.³, p. 142.

„parens“ (22), qui praecipue poetarum proprius fuisse videtur.[1])

Neque minus more poetarum formatum esse censet J. Lebreton[2]) numerum pluralem nominum abstractorum gravem quem legimus 66: „Quae civitas est in Asia quae non modo imperatoris aut legati sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit?“ Legas etiam 48: „. . . eius semper voluntatibus . . . cives adsenserint.“ Praeterea dignum puto quem commemorem numerum pluralem rhetoricum „liberi“ (33).[3]) Atque in eundem sermonem grandem cadere non negem numerum singularem collectivum de nominibus militaribus positum, qui obviam fit 39: „Non modo ut sumptum faciat in militem nemini vis adfertur sed ne cupienti quidem quicquam permittitur.“[4])

---

[1]) cf. R. Helm, Gött. Gel. Anz. 1911 p. 355. — Conferas etiam infra p. 99.

[2]) Études e. q. s. p. 37. Cf. Arist. rhet. III, 6: *„εἰς ὄγκον δὲ τῆς λέξεως συμβάλλεται . . . τὸ ἓν πολλὰ ποιεῖν, ὅπερ οἱ ποιηταὶ ποιοῦσιν· ἑνὸς ὄντος λιμένος ὅμως λέγουσι ‚λιμένας εἰς Ἀχαϊκούς‘ καὶ ‚δέλτου μὲν αἵδε πολύθυροι διαπτυχαί‘.“* Eiusmodi pluralis substantivo attribuit „une idée d'intensité, de grandeur; ce pluriel, que j'appellerai le pluriel augmentatif, est fréquent en poésie: quand Virgile dit (Aen. 2, 22) „Priami dum regna manebant“, „regna“ n'est pas absolument synonyme de „regnum“; il y a d'une façon confuse l'idée de „royaume puissant, illustre.“ (O. Riemann, Études sur la langue et la grammaire de Tite-Live, Paris 1885, p. 55 sq.) Cf. Cic. Clu. 109.

[3]) „liberi“ enim de uno tantum dictum est, ut apparet Plut. Pomp. 24: *„ἥλω δὲ και θυγάτηρ Ἀντωνίου, θριαμβικοῦ ἀνδρός, εἰς ἀγρὸν βαθίζουσα, καὶ πολλῶν χρημάτων ἀπελυτρώθη.“* Cf. Cluent. 31, 34; prov. cons. 35; Phil. I, 2. — Videas Kühner-Stegmann, Lat. Gramm. II² 1 p. 87.

[4]) Is singularis collectivus ut apud prosae orationis scriptores, ita apud Ciceronem quoque non saepe legitur; cf. l. agr. I, 21; Mur. 38; Clu. 129. Vide O. Riemann l. c. p. 43. — Minus quidem insignis esse videtur singularis collectivus verbi „hostis“ (cf. Riemann l. c. p. 44; J. Lebreton l. c. p. 79), qui ter nobis se obtulit in Pompeiana: 13. „Etiamsi ab hoste defendant.“ 28. „Saepius cum hoste conflixit quam quisquam cum inimico concertavit.“ 64. „Ita versari nostrum imperatorem, ut nihil aliud nisi de hoste ac de laude cogitet.“

De aliis vocibus poeticis conferas infra (p. 94 sqq.), ubi disseram de translationibus.

At contra sermonem Pompeianae fugere consentaneum est pronominis „iste“ frequentiorem usum; id enim pronomen, quod saepissime per contemptionem dici solet,[1]) abhorrere a sermone et poetico et grandiore iam saepius expositum est.[2]) Legimus autem in Pompeiana pronomen „iste“ tantummodo 11 ies, cum in Caeciniana exstet 34 ies, i. e. in singulis paginis Pompeianae 0,48 ies, Caecinianae 1,05 ies.[3]) De pronomine „iste“.

Restat ut pauca addamus de usu gerundivi, quem frequentiorem in sermone elegantiore quam in vulgari fuisse recte quidem cognovit E. Loefstedt.[4]) Atque ut ille modus dicendi plurimum valet in Ciceronis ipsius sermone grandiore,[5]) ita Pompeiana quoque iis formis valde abundat; ut legimus: De usu gerundivi.

20. „Potest enim hoc dici, belli genus esse ita necessarium ut sit gerendum, non esse ita magnum ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est ne forte ea vobis quae diligentissime providenda sunt contemnenda esse videantur.“

49/50. „Dubitatis, Quirites, quin hoc tantum boni quod vobis ab dis immortalibus oblatum et datum est in rem publicam conservandam atque amplificandam conferatis? Quodsi Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus . . .“

Inveniuntur autem in Pompeiana 62 exempla, cum praebeat Caecinianae sermo satis vulgaris tantummodo

---

[1]) cf. M. J. Kvičala, Sitzungsberichte der Kaiserl. Akademie der Wissenschaften zu Wien, Philos.-Histor. Klasse 1870 (65) p. 134 sq.

[2]) cf. E. Norden, Verg. Aen. VI p. 120 sq.

[3]) Pronomen „iste“ legimus in Archiana tantummodo semel, contra in Tulliana 14 ies.

[4]) l. c. p. 157: „Wie es scheint, ist das Gerundivum in der volkstümlich gefärbten Sprache überhaupt niemals beliebt gewesen“.

[5]) cf. E. Loefstedt, l. c. p. 157.

26 exempla, ut in singulis paginis Pompeianae 2,7 ies, Caecinianae 0,8 ies eas formas legamus.

Hoc denique loco non attingam nisi in transitu quod multum valet in Pompeiana pleonasticum illud dicendi genus verborum sentiendi, quo praecipue numerosum et magnificum fieri sermonem infra explicabimus.[1])

De sermone mediocri aliquoties in oratione Caeciniana adhibito.

Sane colorem quendam demonstrativum Caecinianae quoque inesse partibus nonnullis, quae tamquam *παρέκβασιν* praebeant laudationem iuris civilis, haud difficile cognosci potest. Iam supra enim diximus Ciceronem in Caeciniana sibi proposuisse non solum ut „res involutas definiendo explicaret“ et „verba ambigua distingueret“, [sed etiam „ius civile laudaret“.[2]) Itaque summis effert laudibus quod maximae sit utilitati omnibus mortalibus ius civile:

73. „Quid enim est ius civile? Quod neque inflecti gratia neque perfringi potentia neque adulterari pecunia possit; quod si non modo oppressum sed etiam desertum aut neglegentius adservatum erit, nihil est quod quisquam sese habere certum aut a patre accepturum aut relicturum liberis arbitretur.“ [3])

Itemque paulo infra splendidissime canit laudes C. Aquilii viri scientia iuris civilis clarissimi:[4])

78. „Quapropter hoc dicam, numquam eius auctoritatem nimium valere cuius prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perspexerit, qui iuris civilis rationem numquam ab aequitate seiunxerit, qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo Romano promptam expositamque praebuerit; qui ita iustus est et bonus vir ut natura, non disciplina, consultus

---

[1]) cf. infra p. 92.

[2]) or. 102.

[3]) cf. etiam Laurand, l. c. p. 304 sq. Ad existimandam concinnitatem huius loci propriam inspicias velim infra p. 58 sq.

[4]) cf. Brut. 154. — De C. Aquilio iuris civilis peritissimo cf. Pauly-Wissowa, R.-E. II p. 328.

esse videatur, ita peritus ac prudens ut ex iure civili non scientia solum quaedam verum etiam bonitas nata videatur, cuius tantum est ingenium ita probata fides ut quicquid inde haurias purum te liquidumque haurire sentias."

Legas etiam laudationem maiorum hanc:

34. „. . . maiores nostri tanta diligentia prudentiaque fuerint ut omnia omnium non modo tantarum rerum sed etiam tennissimarum iura statuerint persecutique sint, hoc genus unum vel maximum praetermitterent . . ."

Quarum Caecinianae partium proprietates, si delectum verborum respicis, easdem fere esse atque quas perspeximus in Pompeiana haud difficile est cognitu.

III. De oratione Rabiriana.

Iam transeamus ad eloquentiam in oratione pro **C. Rabirio perd. r.** conspicuam illam sublimem cuius est „tractare animos" et „omni modo permovere".[1]) Quod clarius Cicero explicat paulo post: „At vero hic noster (orator), quem principem ponimus, gravis acer ardens, si ad hoc unum est natus aut in hoc solo se exercuit aut huic generi studuit uni nec suam copiam cum illis duobus generibus temperavit, maxime est contemnendus".[2])

De natura verborum.

Quamquam alienae fere sunt ab hoc sermone sublimi elocutiones et sententiae nimis abundantes illae quae, ut opus est in Caeciniana, dilucidum reddunt sermonem et planum. Contra accedere hunc sermonem potius ad genus dicendi medium minime mirum est. Granditatem enim quandam inesse generi medio quoque iam satis vidimus; atque id quod Cicero dicit de Demosthene exemplo, ad ipsum referre licet: „A gravissimo (genere dicendi) discedens eo (sc. ad genus medium) potissimum delabitur".[3])

---

[1]) or. 97.
[2]) or. 99.
[3]) or. 111.

Itaque purus est — ut decet — et dignus delectus verborum ut in Pompeiana sic in hac oratione, cum frustra fere quaeras eas elocutiones vulgares quas in Caeciniana legimus permultas.[1]) Sane quidem vitat orator ut proprie verba et elocutiones amplificantes, quae praecipue laudationis sint propriae, ita universe eam generis medii nimiam abundantiam, quae, cum arte oratoria effecta non nisi delectare possit aures audientium, facile eas possit avertere a gravitate et argumento orationis, cuius sermonis ut proprium sit τὸ παθητικόν Cicero postulat.

De repetitionis forma quadam.

Ad hunc autem sermonem accommodatae sunt repetitiones rhetoricae, quales in his verbis:

25. „Causam enim suscepisti antiquiorem memoria tua, quae causa ante mortua est quam tu natus esses;[2]) qua in causa tute profecto fuisses, si per aetatem esse potuisses, eam causam in iudicium vocas."

Itemque nihil ridiculi deminuit sermonis sublimitatem; neque enim iocosa est, sed seria ac gravis ironia propria verborum horum:

De ironia.

13. „Namque haec tua, quae te, hominem clementem popularemque, delectant, «I. LICTOR, CONLIGA MANUS», non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt sed ne Romuli quidem aut Numae Pompili; Tarquini, superbissimi atque crudelissimi regis, ista sunt cruciatus carmina quae tu, homo lenis ac popularis, libentissime commemoras: «CAPUT OBNUBITO, ARBORI INFELICI SUSPENDITO,» quae verba, Quirites, iam pridem in hac

---

[1]) Legimus in Rabiriana elocutiones vulgares: 7 „demiror" (cf. de leg. agrar. II, 100; Clu. 86; Phil. II, 49; X, 22; Krebs-Schmalz, Antib. I[7] p. 414) et formulam: „non ita mos est" (35), quae alibi non invenitur. Cf. Landgraf, de Ciceronis elocutione in orationibus pro Quinctio et Rosc. Am. conspicua p. 38. — Itemque deminutiva rarissime legimus, (cf. supra p. 34) composita autem praepositione „per" effecta frustra quaeres (cf. supra p. 35).

[2]) Ab hac lectione „esses", quam codices quoque praebent, recedit

re publica non solum tenebris vetustatis verum etiam luce libertatis oppressa sunt."

Neque minus grande effici, ut ita dicam, ethos sermonis puto quod orator revocans in audientium memoriam supplicia et acerbitates obsoletas illas „ex annalium monumentis atque ex regum commentariis conquisitas" [1]) inserit orationi priscas illas formulas actionis perduellionis, quas legimus § 13: «I, LICTOR, CONLIGA MANUS» et paulo post «CAPUT OBNUBITO, ARBORI INFELICI SUSPENDITO».[2]) **De formulis priscis sermoni insertis.**

Itemque maxime est idoneus qui significet oratoris vehementem animi perturbationem frequentior usus particulae gravis „utinam", quam quater legimus in hac brevi oratione:[3]) **De particula gravi „utinam".**

10. „Quod utinam, Quirites, ego id aut primus aut solus ex hac re publica sustulissem! utinam hoc, quod ille crimen esse volt, proprium testimonium meae laudis esset."

18. „Utinam hanc mihi facultatem causa concederet ut possem hoc praedicare, C. Rabiri manu L. Saturninum, hostem populi Romani, interfectum!"

31. „At occidit Saturninum Rabirius. Utinam fecisset!"

Clark secutus Muellerum, qui „es et" receperunt; sed recte meo quidem iudicio „esses" defendit Th. Stangl, Tulliana et Mario-Victoriniana, Monac. 1888, p. 3.

[1]) Rab. 15.

[2]) cf. etiam R. Klotz, Handbuch der lat. Stilistik, Lips. 1874, p. 164 sq.

[3]) Quae particula non legitur in Caeciniana, semel in Pompeiana 27: „Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis . . .!"

B. De constructione enuntiatorum.

Iam nobis habenda est nova quaestio quas artes et rationes Cicero adhibuerit in enuntiatis construendis.

I. De oratione Pompeiana.

Ac primum quidem perscrutemur orationis **Pompeianae** sermonem illum medium, cui „omnia dicendi ornamenta conveniunt".[1]) In quo dicendi genere ut artificiosissime exstruantur enuntiata postulat ipse Cicero disserens de genere demonstrativo, quod in sermone mediocri consedisse supra cognovimus. „In eo (genere) quod appellamus *ἐπιδεικτικόν*, placet omnia dici Isocrateo[2]) Theopompeoque more illa circumscriptione ambituque, ut tamquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis."[3]) Quam componendi rationem praecipue spectare — quod sibi proposuit genus dicendi medium — ad voluptatem et delectationem aurium docemur: „Itaque postea quam est nata haec vel circumscriptio vel comprehensio vel continuatio vel ambitus, si ita licet dicere, nemo, qui aliquo esset in numero, scripsit orationem generis eius quod esset ad delectationem comparatum remotumque a iudiciis forensique certamine, quin redigeret omnis fere in quadrum numerumque sententias. Nam cum is est auditor qui non vereatur ne compositae orationis insidiis sua fides attemptetur, gratiam quoque habet oratori voluptati aurium servienti." [4])

---

[1]) or. 92.

[2]) Disserit de Isocratis hac arte et ratione *„καὶ τὰ κῶλα τοῖς κώλοις εὖ συνυφάνθαι καὶ πάντα εἰς περίοδον τελευτᾶν"* Dion. Hal. de comp. verb. 23 [vol. II, 1 p. 112, 19 sqq. U.-R.] — cf. etiam C. Münscher, Isocr. or. sel. praef., Berol. 1908, p. 16 sq.

[3]) or. 207.

[4]) or. 208; cf. etiam or. 168.

Quae ratio circumscripte et numerose[1]) componendi hoc mihi primum videtur postulare ut vitentur quam maxime enuntiata minuta et abrupta, cum possint inquietare huius oratoris, qui „uno tenore in dicendo fluit“ [2]) sermonem „sedate placideque liquentem“ [3]) et perturbare „aequabilitatem et facilitatem“ [4]) orationis numerosae, quae „tamquam in orbe inclusa currat“.[5]) **Amplitudo enuntiatorum ad sermonem multum valet.**

Atque re vera ut Pompeianae vocabulis inesse longitudinem insignem, quae valde superat vocabula Caecinianae, iam supra[6]) intelleximus, ita enuntiata quoque Pompeianae longitudine magnopere Caecinianae praestant. Numeravi enim in Pompeiana enuntiatorum tantummodo 18 $^0/_0$, quibus sunt dena verba vel minus, cum in Caeciniana eorum legamus 42 $^0/_0$. Atque altera ex parte nobis occurrunt in Pompeiana enuntiatorum 33,4 $^0/_0$, quibus vocabula sunt quina et vicena vel plus, contra in Caeciniana eorum tantummodo 18,9 $^0/_0$. Neque id neglegenter praetereundum esse mihi videtur, cum Caecinianae singula enuntiata longitudine maxime varia et instabilia cognoscamus, Pompeianae singulas structuras potius

---

1) Circumscripte et numerose dicere apud veteres idem erat; cf. E. Bernhardt, Begriff und Grundform der griechischen Periode, Visb. 1854, p. 4sqq.; Norden, Antike Kunstprosa p. 42; H. Peter, Neue Jahrb. f. d. kl. Altertum I (1898) p. 643.

2) or. 21.

3) or. 92.

4) or. 21. — De Isocratis sermone aequabili et facile liquente cf. Dion. Hal. de Dem. c. 20 [vol. I p. 171, 5sqq.]: „*ἣ δ’ἔστιν ὑγρὰ καὶ ὁμαλὴ καὶ ὥσπερ ἔλαιον ἀψοφητὶ διὰ τῆς ἀκοῆς ῥέουσα, θέλγειν γέ τοι καὶ ἡδύνειν ζητοῦσα τὴν ἀκοήν*“. Cf. etiam E. Bernhardt l. c. p. 31.

5) or. 207. — De Isocr. cf. Dion. Hal. cap. 2 [vol. I p. 57, 12sqq.]: „*περιόδῳ τε καὶ κύκλῳ περιλαμβάνειν τὰ νοήματα πειρᾶται ῥυθμοειδεῖ πάνυ καὶ οὐ πολὺ ἀπέχοντι τοῦ ποιητικοῦ μέτρου, ἀναγνώσεώς τε μᾶλλον οἰκειότερός ἐστιν ἢ χρήσεως*“. Cf. etiam ibid. de comp. verb. cap. 19 [vol. II, 1 p. 87, 14sqq.] et ibid. c. 23 [p. 120, 2sqq.].

6) p. 39.

esse sui similes longitudine sibique constantes, quam ob rem ordines enuntiatorum multo tranquillius fluunt in hac oratione.

De enuntiatorum adiunctione.

Huc accedit quod singula enuntiata coniunctionibus conexivis vel relativis Cicero artificiose et eleganter inter se conectit saepius in hac oratione quam in Caeciniana, cuius sermonis simplicioris magis propriam esse parataxin infra [1] perspiciemus. Quibus particulis coniuncta sunt inter se in Pompeiana omnium enuntiatorum 47 %, contra in Caeciniana tantummodo 33 %.[2] Naturam autem parataxeos exemplorum Pompeianae orationis plerumque aliam esse atque in Caeciniana facile elucet, cum sermo mediocris ut grandis saepius versetur ad vim efficiendam et granditatem in sententiis congruenter conformatis dissoluteque — i. e. demptis coniunctionibus — continuatis iisque praecipue, quae sunt ornatae forma vel anaphorae vel interrogationis,[3] a qua ratione emphatice dicendi certe abhorrere copulationes necesse est. Quae ut ipsa intellegas, legas velim — ut exempla afferam — praecipue Pomp. §§ 32—34.

De arte periodos componendi.

Atque in eadem oratione cum neglegat fere et repudiet sententias simplicius exstructas [4] Cicero, quem omnino impendisse summam artem in continuationes verborum articulis membrisque eleganter distinctas constat,[5] plurimum attribuit periodis illis artificiosissime descriptis ac volubiliter fluentibus, quas egregie ipse comparare

---

[1]) p. 68 sq.

[2]) Coniunguntur in oratione Pompeiana particulis coni. (atque, nam, enim, igitur, autem, aliis) enuntiatorum 37 %, part. relat. 10 %; in Caeciniana part. coni. 28,6 %, part. rel. 4,4 %.

[3]) cf. infra p. 122 sq. et 126 sq.

[4]) cf. L. Laurand l. c. p. 295.

[5]) cf. de or. III, 186: „continuatio verborum ... multo est aptior atque iucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta". Cf. etiam E. Norden, Verg. Aen. VI p. 369; J. H. Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 653.

solet cum perfecto mundi et naturae statu et absoluto.[1]) Idem quod omnino proprium Pompeianae structurarum vidimus, partibus quoque eorum inest et membris, quae in hac oratione ampla fluunt et lata longitudineque magis sunt inter se similia et elegantius in se ipsa implicata.

Atque statim narrationem ingressi eam admiramur artem componendi:

4. „Atque ut inde oratio mea proficiscatur unde haec omnis causa ducitur, bellum grave et periculosum vestris vectigalibus atque sociis a duobus potentissimis adfertur regibus, Mithridate et Tigrane, quorum alter relictus, alter lacessitus occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur.“

Argumentationis vero exemplum respicias hoc:

7. „Et quoniam semper appetentes gloriae praeter ceteras gentis atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est illa macula Mithridatico bello superiore concepta quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit in populi Romani nomine, quod is qui uno die tota in Asia tot in civitatibus uno nuntio atque una significatione omnis civis Romanos necandos trucidandosque curavit, non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit sed ab illo tempore annum iam tertium et vicesimum regnat et ita regnat ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit sed emergere ex patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est in Asiae luce, versari.“

Neque negari potest orationis eam amplitudinem tam artificiose compositam tamque numerose ac volubiliter fluentem, quae maxime est idonea ad laudandum[2]) et amplificandum,[3]) qua Isocratem

---

[1]) cf. de or. III, 178. Cf. etiam Norden, A. K. p. 49, 1.

[2]) cf. Quint. iust. or. IX 4, 128 „periodos poscitur fusa si laudes“.

[3]) cf. or. 210 „saepe etiam in amplificanda re concessu omnium funditur numerose et volubiliter oratio“.

primum dictionem suam exornasse Cicero nos docet,[1]) sermonem mediocrem re vera facere grandem et elegantem[2]) praesertim cum cognoscamus per totam orationem aliam fere comprehensionem excipere aliam ita, ut iudicare liceat de hoc Ciceronis sermone, quod Demetrius de Isocrate: „ὅλαι γὰρ διὰ περιόδων εἰσὶν συνεχῶν οὐδέν τι ἔλαττον, ἤπερ ἡ Ὁμήρου ποίησις δι' ἑξαμέτρων". [3]) Praecipue autem complexus periodorum legas quales exstant Pomp. 9, 10, 13, 16, 35, 49, 51, 54, 55, 57, 60, 63, 66.

De concinnitate.

Maximae autem gravitatis est in structuris Pompeianae sermonis concinnitas, quam quidem omnino a dictione Ciceroniana haudquaquam separari posse non ignorant qui perceptam habeant rationem huius oratoris.[4]) Sed ut praecipue mediocritas versetur in illa adhibenda arte sermonis maxime Isocratei[5]) propria aperte postulat Cicero, cum disserat de genere demonstrativo: „Datur etiam

---

[1]) cf. or. 40 sq. Ad quod notat Norden, A. K. p. 118: „Man muß die Perioden ausdehnen und an die Stelle der zerhackten Sätzchen — quales Thrasymachi et Gorgiae erant — große volle in rhythmischem Fluß rollende Sätze treten lassen. Dies ist die wesentliche Neuerung des Isocrates".

[2]) cf. auct. π. ὕ. 40 [p. 75, 17—76, 4 J.-V.[4]]: „Ἐν δὲ τοῖς μάλιστα μεγεθοποιεῖ τὰ λεγόμενα, καθάπερ τὰ σώματα ἡ τῶν μελῶν ἐπισύνθεσις, ὧν ἓν μὲν οὐδὲν τμηθὲν ἀφ' ἑτέρου καθ' ἑαυτὸ ἀξιόλογον ἔχει, πάντα δὲ μετ' ἀλλήλων ἐκπληροῖ τέλειον σύστημα, οὕτως τὰ μεγάλα, σκεδασθέντα μὲν ἀπ' ἀλλήλων, ἄλλοσ' ἄλλῃ ἅμα ἑαυτοῖς συνδιαφορεῖ καὶ τὸ ὕψος, σωματοποιούμενα δὲ τῇ κοινωνίᾳ καὶ ἔτι δεσμῷ τῆς ἁρμονίας περικλειόμενα, αὐτῷ τῷ κύκλῳ φωνήεντα γίνεται· καὶ σχεδὸν ἐν ταῖς περιόδοις ἔρανός ἐστι πλήθους τὰ μεγέθη".

[3]) π. ἑρμ. c. 12 [p. 6 Rad.]. — Cf. etiam E. Bernhardt l. c. p. 30 sq.

[4]) cf. L. Laurand l. c. p. 118; Norden, Ant. Kunstpr. p. 236 sq. Id. de Minucii Fel. aetate et genere dicendi, Gryph. 1897, p. 16 sq.; Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 678.

[5]) cf. Dion. Hal. de Isocr. c. 2 [vol. I p. 57, 20 sqq.]; ibid. c. 13 [p. 73, 19 sqq.]. Cic. or. 38. — Cf. etiam C. Münscher l. c. p. 16 sq.; H. Peter l. c. p. 640.

venia concinnitati sententiarum et arguti certique et circumscripti verborum ambitus conceduntur, de industriaque non ex insidiis sed aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant, ut crebro conferantur pugnantia comparenturque contraria et ut pariter extrema terminentur eundemque referant in cadendo sonum; quae in veritate causarum et rarius multo facimus et certe occultius".[1]) Inesse igitur discimus in ipso nomine concinnitatis ut *πάρισα* vel *ἰσόκωλα* („verba verbis respondent"), ita *ἀντίθετα* („conferantur pugnantia") et *ὁμοιοτέλευτα* („pariter extrema terminantur eundemque referunt in cadendo sonum").[2]) Quae ratio concinne dicendi praecipue adiuvat sermonis numerum[3]) maximeque est idonea ad titillandas aures et efficiendam delectationem,[4]) ad quas res prorsus spectat genus dicendi medium.

Atque re vera dominari et regere structuras Pompeianae concinnitatem illam „non ex insidiis sed aperte ac palam elaboratam"[5]) satis nos docet cum quodvis fere huius orationis enuntiatum,[6]) tum praecipue exemplum diffusum hoc:

---

[1]) or. 38.

[2]) cf. etiam Cic. or. 65, 84, 164, 175, 220; de or. III, 206; Laurand l. c. p. 116sq.; Norden, Ant. Kunstprosa p. 50sq.; Seyffert, Pal. Cic.[5] p. 40.

[3]) cf. or. 164; Laurand l. c. p. 116sq.

[4]) cf. or. 38, 84, 208; Arist. ars rhet. III, 9, 1410[a], 20; Quint. inst. or. 9, 3, 102; Norden, Ant. Kunstpr. p. 50sq. Id. de Min. Fel. e. q. s. p. 17.

[5]) or. 38.

[6]) Non apte mea quidem sententia affert Laurand (l. c. p. 294) ad demonstrandam hanc artem componendi Ciceronis in Pompeiana conspicuam exemplum prooemii; sermonem enim prooemiorum maxime alienum esse a sermone tractationum demonstrant et exempla multa alia et imprimis prooemii ineuntis exemplum illud splendidissimum orationis Caecinianae, quod exemplar periodi perfectae et absolutae

28. „Quis igitur hoc homine scientior umquam / aut fuit / aut esse / debuit? qui / e ludo atque e pueritiae disciplinis / bello maximo atque acerrimis hostibus / ad patris exercitum atque in militiae disciplinam / profectus est, // qui / extrema pueritia / miles in exercitu summi fuit imperatoris, / ineunte adulescentia / maximi ipse exercitus imperator // qui saepius cum hoste conflixit / quam quisquam cum ininico concertavit, // plura bella gessit / quam ceteri legerunt, // plures provincias confecit / quam alii concupiverunt, // cuius adulescentia ad scientiam rei militaris / non alienis praeceptis sed suis imperiis, / non offensionibus belli sed victoriis / non stipendiis sed triumphis / est erudita."

Neque in brevioribus structuris frustra quaeres illam insignem concinnitatem:

20. „Quoniam de genere belli dixi, / nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici, // belli genus esse ita necessarium / ut sit gerendum, // non esse ita magnum / ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est ne forte ea vobis quae diligentissime / providenda sunt / contemnenda esse / videantur."

Sed iam mihi liceat concinnitatis singulas species accuratius explicare et exempla afferre.

De congruentia verborum.

Quantopere petat Cicero in hac oratione congruentiam verborum (πάρισα vel ἰσόκωλα) ostendit imprimis illa verborum abundantia ad aures delectandas composita, quae efficit figuram disiunctionis, „cum eorum de quibus dicimus aut utrumque aut unum quidque certo concluditur verbo".[1]) Quam figuram ad festivitatem expositam esse idem auctor (ad Her. IX, 38) nos docet.

---

veteres rhetores (Quint. IX 3, 80; Aquil. Rom. I, 18) iudicabant. Cf. etiam Norden, A. K. p. 231, 1.

[1]) Auct. ad Her. IV, 37. — Cf. etiam Müller-Seyffert, Cic. Lael.[2] p. 252.

Affero exempla maxime prominenta:

15. „pecua relinquuntur, agri cultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit.“

23. „diffidentem ... confirmavit et adflictum erexit perditumque recreavit.“

26. „coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes.“

28. cum hoste conflixit — cum inimico concertavit.

29. „labor in negotis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo.“

34. „aut obeundi negoti aut consequendi studio.“

45. „Mithridatem continuit et Tigranen retardavit“.

48. „cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes oboedierint, ... venti tempestatesque obsecundarint“.

66. „norunt vulnera, vident calamitates, querimonias audiunt.“

Neque solum verba in hanc rationem cadunt, sed etiam substantiva vel adiectiva:

7. „appetentes gloriae — avidi laudis.“

14. „ubertate agrorum et varietate fructuun et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum quae exportentur.“

20. „forti viro et sapienti homini et magno imperatori.“

29. „vobis novum — cuiquam inauditum.“

40. „non avaritia ... ad praedam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem.

49. „eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna.“

61/62. „Quid tam novum, quam ...
„ „ praeter consuetudinem, quam...
„ „ inauditum, quam ...
„ „ inusitatum, quam ...

Quid tam singulare quam . . .
„ „ incredibile quam . . .“

Atque per totam orationem conspicuum est Ciceronis studium efficiendae sermonis congruentiae, qua in quaerenda aliquoties verba non necessaria structuris addit[1]) neque raro neglegit linguae leges logicas vel grammaticas.[2]) Legimus enim:

6. „Causa quae sit videtis; nunc quid agendum sit ipsi considerate.“ [„Causa quae sit“ dictum est pro „causam“.]

8. „laus est tribuenda quod egerunt, venia danda quod reliquerunt.“ [„relinquere“ praeter consuetudinem absolute est dictum.“][3])

9. „non ad oblivionem veteris belli sed ad comparationem novi“ [„ad comparationem novi“ fere dictum est pro „ad novum“].

14. „belli utilitatem — pacis dignitatem“ [„utilitatem“ hoc loco dictum est pro „subsidia“].[4])

23. „longinquitate locorum — desiderio suorum“ [„longinquitate locorum“ dictum est pro „longinquis locis“].

25. „ex proelio nuntius — ex sermone rumor“ [„ex sermone“ adiectum est tantummodo concinnitatis causa].[5])

34. „Siciliam adiit, Africam exploravit, inde Sardiniam cum classe venit“ [„Sardiniam“ dictum est pro „in Sardiniam“].[6])

35. „bellum . . . apparavit — suscepit — confecit“ [verbum compositum „apparavit“ dictum est pro „paravit“].

---

1) Propter id ipsum Isocratem vituperavit Dion. Hal. de Isocr. c. 3 [vol. I p. 58, 19—21] „*ὥστε ἀνάγκη παραπληρώμασι λέξεων οὐδὲν ὠφελουσῶν χρῆσθαι καὶ ἀπομηκύνειν πέρα τοῦ χρησίμου τὸν λόγον*“ cf. etiam G. Gerber, Die Sprache als Kunst, 1885^2 I p. 439.

2) cf. E. Norden, Antike Kunstpr. p. 227. Id. de Min. Fel. e. q. s. p. 22. Id. Verg. Aen. VI p. 375 sq.; M. Seyffert, Pal. Cic.[5] p. 41.

3) cf. C. Halm, Cic. de imp. Cn. Pomp. 1848 p. 99.

4) Ibid. p. 113.

5) cf. Richter-Eberhard, Cic. d. imp. Cn. Pomp. 1900^5 p. 50.

6) cf. Landgraf, Arch. f. lat. Lex. X p. 395.

48. „Cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes oboedierint, venti ... obsecundarint“ [Forma „adsenserint“ quae est ab usu remota,[1]) dicta est pro „adsensi sint“].

67. „propter rei militaris gloriam — propter animi continentiam“ [„animi continentiam“ abundanter dictum est pro „continentiam“].[2])

Aliquoties enuntiata pendentia Cicero consulto vitat, ut efficiat iuxta compositis concinnitatem:[3])

47. „praestare de se ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus“ [„praestare — potest“ dictum est pro „quamquam praestare — potest“].

Ibid. „praeterita meminisse, reliqua sperare“ [praeterita meminisse“ dictum est pro „ex memoria praeteritorum“].

63. „illorum auctoritatem ... a vobis comprobatam esse, vestrum ab illis ... iudicium populique Romani auctoritatem improbari“ [„illorum auctoritatem — comprobatam esse“ dictum est pro „quamquam illorum auctoritas ... comprobata sit“].

Libenter congruentiae efficiendae causa praepositiones quoque mire et audacter adhibet Cicero in hac oratione:

7. „Tota in Asia, tot in civitatibus“ [„Tota in Asia“ dictum est pro „tota Asia“].[4])

45. „ad ipsum discrimen — ad eas regiones“ [„ad eas regiones“ dictum est pro „in eas regiones“].

47. „Praestare de se ipso — meminisse et commemorare de altero [malis „in altero“].

58. „in hoc bello — in hoc imperatore“ [Exspectes potius „sub hoc imperatore“ vel „cum hoc imperatore“].

---

[1]) cf. Kühner-Holzweißig, Latein. Gramm. I 1912² p. 900; Neue-Wagener, Formenlehre der lat. Sprache III p. 19 sq.

[2]) cf. J. H. Schmalz, Cic. d. imp. Cn. Pomp. comm. Bielef. 1909 p. 50.

[3]) De hac forma sermonis cf. Madvig, Emendationes in Ciceronis libros de legibus et academica, Haun. 1826, p. 24 sqq.

[4]) cf. L. Kühnast, Die Hauptpunkte der livianischen Syntax, 1872² p. 328.

De contrariis. Atque investigantibus nobis Pompeianae sermonem concinnum conspicuum est id alterum agere Ciceronem ut antithetice res dividat et opponat. Quamquam antitheta Caecinianae numero non multum cedere huic orationi infra cognoscemus, tamen earum natura plerumque est alia, cum Pompeianae exempla intellegamus multo delicatius distinctiusque excogitata et artificiosius exstructa; quin etiam non raro — quod frustra fere quaeres in Caeciniana — eiusdem sententiae terna vel plura vocabulorum aut membrorum paria contrarie sunt opposita, quod certe satis docent nonnulla exempla, quae iam supra attulimus. Praecipue autem tibi proponas velim exempla quae sequentur;[1]) ex quibus primum eligo hoc late patens:

11. „Maiores nostri saepe pro *mercatoribus aut naviculariis* nostris **iniuriosius tractatis** bella gesserunt — vos *tot milibus civium Romanorum* uno nuntio atque uno tempore **necatis** quo tandem animo esse debetis?

Legati quod erant appellati superbius, **Corinthum** patres vestri **totius Graeciae lumen extinctum** esse *voluerunt* — vos **eum regem inultum** esse *patiemini qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verbiribus atque omni supplicio excruciatum necavit?*

Illi *libertatem* **imminutam** civium Romanorum *non tulerunt* — vos **ereptam** *vitam neglegetis?*

Ius legationis **verbo violatum** illi *persecuti sunt* — vos *legatum* **omni supplicio interfectum** *relinquetis?*

Videte ne ut illis *pulcherrimum* fuit tantam vobis imperi gloriam **tradere,** sic vobis *turpissimum* sit id quod accepistis **tueri et conservare non posse.**“

Neque nimus insignia et delicata sunt exempla haec:

18. „neque isdem redimendi *facultas* erit propter **calamitatem** neque aliis *voluntas* propter **timorem.**“

[1]) Conferas etiam antitheseos exempla, qui afferam cum disseram de figura chiasmi infra p. 119sq.

35, „bellum ... Cn. Pompeius extrema *hieme* **apparavit,** ineunte *vere* **suscepit,** media *aestate* **confecit.**“

41. „is qui dignitate *principibus* **excellit** facilitate *infimis* **par esse** videatur.“

42. „utrum hostes magis virtutem eius *pugnantes* **timuerint** an mansuetudinem *victi* **dilexerint.**“

Praeterea digna sunt quae commemorentur:

9. „non ad oblivionem *veteris* belli sed ad comparationem *novi.*“

10. „neque vera laus ei *detracta* . . . neque falsa *adficta* esse videatur.“

22. „Illum in persequendi studio *maeror,* hos *laetitia* tardavit.“

24. „militibus nostris reditus magis *maturus* quam processio *longior* quaereretur.“

25. „tantum victus *efficere potuit* quantum incolumis numquam *est ausus optare.*“

41. „Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe *missum* sed de caelo *delapsum* intuentur.“

ibid. „servire *populo Romano* quam imperare *aliis* maluisse.“

45. „quisquam dubitabit quid virtute perfecturus sit qui tantum auctoritate perfecerit, aut quam facile *imperio atque exercitu* socios et vectigalia conservaturus sit qui *ipso nomine ac rumore* defenderit?“

47. „praeterita *meminisse,* reliqua *sperare* videamur.“

49. „bellum sit ita necessarium ut *neglegi* non possit, ita magnum, ut *accuratissime sit administrandum.*“

56. „populus Romanus dolori *suo* maluit quam auctoritati *vestrae* obtemperare.“

60. „in pace *consuetudini,* in bello *utilitati* paruisse.“

67. „Cn. Pompeium non cum suis *virtutibus* tum etiam alienis *vitiis* magnum esse videamus.“

Atque praeterea in hac oratione, quam abundare anti-

thetorum exemplis elegantissimis iam satis cognovimus, formam illam antitheseos gravissimam [1]) aliquoties legimus, quam commutationem dicere solemus, quae locum habet „cum duae sententiae inter se discrepantes ex traiectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori proficiscatur", [2]) ut legimus:

De figura commutationis.

31. „Hoc tantum bellum ... quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse?"

38. „Neque enim potest exercitum is continere imperator qui se ipse non continet, neque severus esse in iudicando qui alios in se severos esse iudices non volt."

63. „Quare videant ne sit periniquum ... illorum auctoritatem ... a vobis comprobatam semper esse, vestrum ab illis ... iudicium populique Romani auctoritatem improbari."

66. „Pro sociis vos contra hostis exercitus mittere putatis an hostium simulatione contra socios atque amicos?"

67. „Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse quae locuples sit, ecquam esse locupletem quae istis pacata esse videatur?"

De homoeoteleutis.

Atque ut a concinnitate non separari posse homoeoteleuta supra intelleximus, ita in sermone Pompeianae quoque eleganti plurimum concedere Ciceronem huic figurae quae praecipue est idonea ad efficiendam granditatem, [3]) certe satis demonstraverunt exempla allata, clarissime autem, opinor, ea quae attuli ad illustrandam sum-

---

[1]) cf. E. Norden, Antike Kunstprosa p. 229 adn. 2.

[2]) auct. ad Her. IV 28, 39.

[3]) cf. Norden, Antike Kunstprosa p. 50 sq. et p. 847; Laurand l. c. p. 122 sqq. — Mire et imperite mea quidem sententia hanc Ciceronis artem splendide et suaviter dicendi cacophoniam dicit significatque „entsetzliche ohrzerfleischende Monotonie" H. Kraffert in Zeitschrift für das Gymnasialwesen (41) 1887 p. 721.

mam diligentiam quam ad congruentiam verborum adhibuit, ut 29: „Quid est quod quisquam aut illo dign**um** aut vobis nov**um** aut cuiquam inaudit**um** possit adferre? Neque enim solae sunt virtutes imperatoriae quae volgo existimantur, labor in negoti**is**, fortitudo in pericul**is**, industria in ag**endo,** celeritas in confici**endo**, consilium in provid**endo**, quae tanta sunt in hoc uno quanta in omnibus reliquis imperatoribus quos aut vid**imus** aut audiv**imus** non fuerunt," et 14: „belli util**itatem**" [pro „belli subsidia"] quod accommodatum est ad „pacis dign**itatem**" et alia.

Cuius figurae exemplis Pompeiana adeo redundat, ut si quis religiose omnia enumerare velit, totam fere orationem exscribere ipsi opus sit. Legas autem imprimis §§ 30, 34, 40, 44, 45, 61, 64, 65.

Hactenus de concinnitate, quam tanta diligentia elaboratam frustra quaeres et in Rabiriana et praecipue in Caeciniana.

De interpositionibus.

Cum orationis Caecinianae cursum dilatent — ut infra cognoscemus — permultae interpositiones, rarissime in Pompeiana illae nobis occurrunt, quod non est mirum; nam ipsae interpositiones maxime sunt idoneae quae inquietent sermonem aequabilem et tranquillum perturbentque dictionem numerosam.[1]) Legimus igitur tantummodo:

16. „ut ante dixi."

58. „ut arbitror."

Addo 19 „mihi credite, id quod ipsi videtis" quae quidem parenthesis profecta est ex coniectura quadam incerta Clarkii.[2])

Huc pertinere mihi videntur exempla verbi „inquam", quod saepius sermoni interpositum ipsum quoque inquietam reddere posse orationem tranquille et numerose fluentem quis est qui neget? Quare non miramur hoc verbum, quod saepissime interrumpit Caecinianam dialogi saepe similem,[3])

---

[1]) cf. Quint. inst. or. VIII 2, 15.

[2]) Qui scripsit „etenim", quamquam codices praebent „et".

[3]) cf. infra p. 75.

in Pompeiana tantummodo semel exstare idque rhetorice[1]) additum alteri membro geminationis:

54. „Quae civitas unquam fuit antea ... quae civitas, inquam, antea ... fuit ..."

II. De oratione Caeciniana.

De liberiore compositione verborum.

Sequitur ut cognoscamus **Caecinianae** structuras sententiarum, ad quas iudicandas magnae est gravitatis quod dicit Cicero or. 78 „haec duo ei (sc. generi dicendi tenui) liberiora sunt, circuitus conglutinatioque verborum". Atque alio loco (or. 85) postulat Cicero ut orator, qui sermone tenui utatur, „continuationem verborum relaxet et dividat". Ad quod praeceptum hoc quoque pertinere mihi videtur quod legimus or. 77: „primum eum (sc. oratorem genus tenue adhibentem) tamquam e vinculis numerorum eximamus."

Atque re vera Caecinianae structurae longissime sunt remotae a quaesita arte illa periodos componendi ampliter fluentes et splendidissime exstructas, quae Pompeianae est propria; frequentissime enim legimus in Caeciniana enuntiata brevia[2]) et angusta simplicissime exstructa rariusque quam in Pompeiana particulis artificiose coniuncta,[3]) saepissime autem simplicia similibus neglegenter ac dissolute adiuncta. Quem modum dicendi proximum esse sermoni cotidiano et familiari satis scimus.[4])

Atque et narrationis et refutationis dictio hunc praebet sermonem ut satis demonstrant quae sequuntur exempla:

16. „Recte attenditis. Aebutio negotium datur. Adest ad tabulam, licetur Aebutius; deterrentur emptores multi

---

[1]) cf. Woelfflin, Die Gemination im Latein., S.-Ber. d. bayer. Akad. 1881 p. 432; H. Wernicke, De geminationis figurae in orationibus Latinis usu, Rostock 1912, p. 51 sq.

[2]) cf. supra p. 55.

[3]) cf. supra p. 56.

[4]) cf. L. Laurand l. c. p. 129; Schmalz, Lat. Gramm.⁴ p. 492; Norden, A. K. p. 37, 1.

partim gratia Caesenniae, partim etiam pretio. Fundus addicitur Aebutio; pecuniam argentario promittit Aebutius; quo testimonio nunc vir optimus utitur sibi emptum esse."

Legas etiam §§ 10, 11, 12, 17, 20, 23.

Ex argumentatione autem haec promo exempla:

48. „Age vero, de vi te ipsum habebo iudicem, Aebuti. Responde, si tibi videtur. In fundum Caecina utrum tandem noluit, an non potuit accedere? Cum te obstitisse et reppulisse dicis, certe hunc voluisse concedis. Potes igitur dicere non ei vim fuisse impedimento cui, cum cuperet eoque consilio venisset, per homines coactos licitum non sit accedere? Si enim id quod maxime voluit nullo modo potuit, vis profecto quaedam obstiterit necesse est; aut tu dic quam ob rem, cum vellet accedere, non accesserit. Iam vim factam negare non potes; deiectus quem ad modum sit, qui non accesserit, id quaeritur."

Quocum exemplo conferas velim praecipue §§ 23, 35, 63, 95/96, 98 exempla.

Atque talis fere est Ciceronis ille in Caeciniana sermo, qualem invenimus apud Lysiam, cuius dictio praecipue in orationibus ad causas privatas pertinentibus maxime est aliena a periodis illis artificiose exstructis,[1]) ut legimus *κατ. Ἐρατοσθ.* 34 sq.:

„Τοῦτο μέντοι οὐ φεύγω, ἀλλ' ὁμολογῶ σοι, εἰ βούλει, ἀντειπεῖν. Θαυμάζω δὲ τί ἄν ποτ' ἐποίησας συνειπών, ὁπότ' ἀντειπεῖν φάσκων ἀπέκτεινας Πολέμαρχον. Φέρε δή, τί ἄν, εἰ καὶ ἀδελφοὶ ὄντες ἐτυγχάνετ' αὐτοῦ ἢ καὶ υἱεῖς; ἀπεψηφίζεσθε; Δεῖ γάρ, ὦ ἄνδρες δικασταί, Ἐρατοσθένην δυοῖν θάτερον

---

[1]) cf. or. 226. De Lysiae illa ratione componendi iudicat Blass, Att. Beredsamkeit² I p. 418: „Wo der Redner erzählt und wo er mit dem Gegner kämpft, da lösen sich die größeren Gebilde auf in kleinere, oder die enge Fügung der Teile lockert sich und der Satz entwickelt sich frei und ungezwungen, wie es dem Ethos angemessen ist." — Cf. etiam Kroll, or. p. 86; F. Berbig, Über das genus dicendi tenue des Redners Lysias, Cuestr. 1871, p. XII.

ἀποδεῖξαι, ἢ ὡς οὐκ ἀπήγαγεν αὐτόν, ἢ ὡς δικαίως τοῦτ' ἔπραξεν."

Neque negari potest hunc sermonem, cum naturale quiddam tribuat et simplex narrationi,[1]) haudquaquam effectu carere in probatione vel refutatione: „Incisim autem et membratim tractata oratio in veris causis[2]) plurimum valet, maximeque eis locis, cum aut arguas aut refellas."[3]) Quare haud miramur „haec (sc. incisa et membra) in veris causis maximam partem orationis obtinere."[4]) Quas causas — ut Caecinianam quoque — comparare licet cum certamine oratorio, ubi pugnat quasi dialogo cum adversario orator, „nec ullum genus est dicendi aut melius aut fortius, quam binis aut ternis ferire verbis, non numquam singulis, paulo alias pluribus, inter quae variis clausulis interponit se raro numerosa comprehensio."[5]) Itaque recte quidem iudicat Laurand: „Mieux que personne, il (sc. Cicéron) a reconnu qu'un style continuellement périodique ne peut convenir à l'éloquence du barreau."[6])

Neque tamen desunt in hac oratione structurae ampliores, sed maxime sunt alienae a conversionibus illis absolutis et perfectis, quas admirati sumus in Pompeiana, cum in Caecinianae periodis collocationem verborum cognoscamus magis naturalem et consuetudini congruentem; sunt enim membra structurae magis fracta et inconstanter concisa maximeque abhorrentia ab artificiosa Pompeianae implicatione,

---

[1]) cf. A. Spengel, Terent. Andr. 1888² p. 64; Reisig-Haase l. c. p. 886.

[2]) Veras causas significat Cicero genus iudiciale, quod oppositum est generi demonstrativo, cuius proprium esse genus dicendi medium iam scimus. Cf. etiam Kroll or. p. 188.

[3]) or. 225.

[4]) or. 221.

[5]) or. 226. Conferas etiam R. Helm, Apul. flor. praef. p. XXVII.

[6]) l. c. p. 127.

laxius autem plerumque annexa atque ita saepe ut alterum membrum quasi post se trahat alterum.

Quae proprietates ut magis diffluentem reddunt sermonem et solutum, ita praecipue dilucidum atque „indicant non ingratam neglegentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.“[1]) Minime mirum id quidem. Non enim compositus est Caecinianae sermo ut Pompeianae ad sensum et aures delectandas, sed praecipue ad docendum et probandum. — Sed eas proprietates melius cognoscet qui leget:

13. „Cum esset haec auctio hereditaria constituta, Aebutius iste, qui iam diu Caesenniae viduitate ac solitudine aleretur ac se in eius familiaritatem insinuasset, hac ratione ut cum aliquo suo compendio negotia mulieris, si qua acciderent, controversiasque susciperet, versabatur eo quoque tempore in his rationibus auctionis et partitionis atque etiam se ipse inferebat et intro dabat et in eam opinionem Caesenniam adducebat ut mulier imperita nihil putaret agi callide posse, ubi non adesset Aebutius.“

Nec minus hanc proprietatem prae se fert hoc exemplum:

16. „Quasi vero aut nos ei negemus addictum aut tum quisquam fuerit qui dubitaret quin emeretur Caesenniae, cum id plerique scirent, omnes fere audissent, qui non audisset, is coniectura adsequi posset, cum pecunia Caesenniae ex illa hereditate deberetur, eam porro in praediis conlocari maxime expediret, essent autem praedia quae mulieri maxime convenirent, ea venirent, liceretur is quem Caesenniae dare operam nemo miraretur, sibi emere nemo posset suspicari“.

Praeterea legas narrationis exempla §§ 15, 19.

Praecipue autem relaxare solet continuationem verborum orator, cum arguat vel refellat, ut docent exempla argumentationis haec:

---

[1]) or. 77.

35. „Quoniam ita dicis et ita constituis, si Caecina, cum in fundo esset, inde deiectus esset, tum per hoc interdictum eum restitui opportuisse; nunc vero deiectum nullo modo esse inde ubi non fuerit; hoc interdicto nihil nos adsecutos esse: quaero, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines et armati non modo limine tectoque aedium tuarum sed primo aditu vestibuloque prohibuerint, quid acturus sis."

Extremum denique exemplum sermonis diffluentis et soluti in Caeciniana conspicui legas hoc:

89. „Cum igitur praetor interdixerit, unde deiectus es, ut eo restituaris, tu hoc idem quod ego dico et quod perspicuum est interpretabere, cum illud verbum ‚UNDE' in utramque rem valeat, eoque tu restitui sis iussus, tam te in aedis tuas restitui oportere, si e vestibulo, quam si ex interiore aedium parte deiectus sis."

Addo etiam argumentationis exempla quae exstant §§ 29, 37, 45, 46, 59, 64, 71, 75, 80, 86, 88, 92.

De usu paratactico.

Multum valere in sermone familiari satis constat parataxin, quam commode circumscripsit Cl. Lindskog „eam iuxtapositionem duarum sententiarum, ubi ad rationem grammatices nullus inter eas conexus appareat, ad sensum autem ita inter se sint iungendae, ut altera alteri subiciatur." [1] Neque a Ciceronis dictione alienam esse hanc rationem simpliciter dicendi nos docent exempla frequentata in Ciceronis epistulis,[2] quarum sermoni vulgaris quidam insit color.[3] Atque ipse Caecinianae sermo tenuis praebet aliquot exempla, qualia sunt haec:

---

[1]) Quaestiones de parataxi et hypotaxi apud priscos Latinos, Lund. 1896, p. 2.

[2]) cf. F. Patzner, De parataxeos usu in Ciceronis epistulis praecipuo, Diss. Vindob., vol. IX (1910) p. 119 sqq.

[3]) Cic. ad fam. IX 21, 1: „epistolas . . . cotidianis verbis texere solemus." — Cf. etiam A. Stinner, De eo quo Cicero in epistolis usus est, sermone, Berol. 1879, p. 3 sqq.

55. „Veniunt in mentem mihi permulta, vobis plura, certo scio.[1])

74. „Mihi credite, maior hereditas uni cuique nostrum venit in isdem bonis a iure et a legibus quam ab eis a quibus illa ipsa nobis relicta sunt.“ [2])

89. „Opinor, hoc interdicto quo nos usi sumus persequere.“ [3])

Huc suo iure mihi pertinere videntur illa quoque exempla, in quibus enuntiatum consequens pronomine vel adverbio praeparatur,[4]) ut hoc loco:

21. „hoc fuit causae: ... istum re commissurum ... nemo putavit.“

76. „Vestra auctoritate hoc constituetur, hoc praescribetur: quicum tu posthac ... contendes, eum si ingressum modo in praedium deieceris, restituas oportebit; sin autem ingredienti ... obviam fueris ... non restitues.“

Neque omittam hoc loco exempla generis cuiusdam dicendi quod, quamquam a mera parataxi seiungendem est, inter parataxin et hypotaxin positum esse puto, ut haec:

33. „Audire cupio, qui in pace et otio ... averterit, hoc dicat.“

76. „quicum ... contendes, eum ... restituas oportebit.“ [5])

---

[1]) At contra legas 97: „Dubium esse nemini vestrum certo *scio.*“ De paratactica structura verbi „sciendi“ cf. Lindskog l. c. p. 24 sq.; Patzner l. c. p. 174.

[2]) De paratactica structura verba „credendi“ cf. Lindskog l. c. p. 17 sq.; Patzner l. c. p. 159 sq.

[3]) De paratactica structura verbi „opinandi“ cf. Lindskog l. c. p. 15 sq.; Patzner l. c. p. 170 sq.

[4]) cf. Cl. Lindskog l. c. p. 41 sqq. — Aliter quidem iudicant Kuehner-Stegmann, Lat. Gramm. II, 2[2] (1914) p. 161 sq., qui enuntiatum consequens accipiunt appositionem.

[5]) Hypotacticam structuram legimus in hac oratione praeterea 26 ies. Cf. etiam F. Patzner l. c. p. 180 sq.

85. „Velim ... sic existimetis.“[1])
100. „Sic adferant velim ...“
Quibus addere liceat:
38. „te iudice vincamus necesse est.“[2])
48. „vis profecto quaedam obstiterit necesse est.“
49. „hoc intellegamus necesse est.“
80. „Aebutius ... necesse est male fecerit sponsionem.“
82. „Aut tuo ... gladio aut nostro defensio tua conficiatur necesse est.“
84. „in eum ipsum causa tua incurrat necesse est.“

Cuius rationis dicendi exempla praebet neque Pompeiana neque Rabiriana.

De oratione recta.

Atque ut hypotaxis se habet ad parataxin, ita eadem certe ratio est inter orationem obliquam ut formam magis artificiosam et perpolitam et orationem rectam. Hunc modum perspicuum et magis naturalem reddendi verba alicuius et sententias[3]) permagni igitur ponderis esse in sermone Caecinianae tenui et dialogo saepe simili non est mirum. Enumeraus huius usus exempla incipiam a verbo

---

[1]) Hypotacticam structuram legimus in hac oratione praeterea 29ies. Cf. etiam F. Patzner l. c. p. 148 sqq.

[2]) Hypotacticam structuram legimus praeterea 5ies. Cf. etiam F. Patzner p. 178 sqq.

[3]) Ipso in sermone plebeiorum orationem rectam magni ponderis fuisse scimus; cf. O. Weise, Charakteristik der lateinischen Sprache, Lips.[4] 1909 p. 134: „Statt der oratio obliqua tritt fast überall die direkte Rede ein (in sermone plebis). Will der Bauer erzählen, was ihm ein anderer mitgeteilt hat, so verschiebt er nicht dessen Aussage, sondern läßt ihn selbst redend auftreten, so daß wir ihn gewissermaßen vor uns haben und seinen Worten lauschen können.“ — Atque aliis igitur proprietatibus, ita in Caeciniana orator hac quoque „consuetudinem imitatur“ (cf. supra p. 4); artificium (ἔντεχνον) enim est illi et artis signo notata haec forma loquendi, in qua etiam scriptores fabularum libenter versatos esse constat. (Cf. O. Weise, ibid. p. 134; E. Norden, A. K. p. 37, 1.)

„inquam (inquis, inquit)“, quod persaepe in Caeciniana orationem efficit rectam,[1]) ut legimus:

80. „Verba ipsa sponsionis facere mecum, si vellem diligenter attendere. ‚Quonam‘, inquam, ‚modo‘? ‚Quia certe‘ inquit, ‚deiectus est Caecina vi hominibus armatis aliquo ex loco; si non ex eo loco quem in locum venire voluit, at ex eo certe unde fugit‘. ‚Quid tum?‘ ‚Praetor‘, inquit, ‚interdixit ut, unde deiectus esset, eo restitueretur...“

Praeterea se offert oratio recta hoc verbo effecta: 37 (inquis); 19, 24, 41, ibid. (inquit).[2])

Atque abundat aliis quoque orationis rectae exemplis Caecinianae sermo, qui summam ubique appetat dictionis claritatem; quod studium perspicuitatis apparet eo magis, quod plerumque orationis rectae sententiae pronomine vel adverbio epexegetice[3]) antea indicantur, cuius modi dicendi exempla nonnulla hic pono:

34. „qui ... hoc dicat: ‚Feci equidem quae dicis omnia et ea sunt et turbulenta et temeraria et periculosa. Quid ergo est? impune feci; nam quid agas mecum ex iure civili ac praetorio non habes.“

38. „... se ita defenderit: ‚reieci ego te armatis hominibus, non deieci.“

Alia exempla orationis rectae inveniuntur: Caec. 31, 38, 54, 55, 64, ibid., 66, ibid., 72, ibid., 79, 84, 91, 92, 93.

De interpositionibus.

Atque cum in genere dicendi medio Ciceronem maximam dare operam cognovimus aequabili et numeroso sermoni, quam ob rem rarissime nobis occurrunt in illa oratione

---

[1]) Haec forma loquendi etiam multum valet in exemplo, quod ad proponendum genus attenuatum praebet auctor ad Her. IV 10, 14.

[2]) Rabiriana non praebet nisi haec duo exempla: 22. „Patruus,“ inquit, „meus cum Saturnino fuit.“ 29. „Quid iam ista C. Mario,“ inquit, „nocere possunt, quoniam sensu et vita caret?“ Contra in Pompeiana legimus tantummodo semel hoc verbum idque rhetorice alteri geminationis membro additum (cf. supra p. 68). — Ceterum et in Pompeiana et in Rabiriana orationis rectae exempla frustra quaeres.

[3]) cf. supra p. 19.

interpositiones,[1]) Caecinianae orationis cursum saepissime dilatant interpositiones, quae quidem magis perspicuitatis causa sunt effectae, quam arte rhetorica quaesitae.

Primum huc pertinent verba quaedam paratactice interiecta:

18. „concessit, credo, Aebutio ... ut haberet."

62. „non, opinor, tam impudens esses."

88. „ita iubet, ut ... non, opinor, eos in cuniculum ... sed in Capitolium restitui oporteret."

86. „Attendite, quaeso, diligenter, recuperatores."

Praeterea affero interpositiones, quae effectae sunt

a) particulis comparativis:

15. „Cum esset, ut dicere institueram, auctio Romae, suadebant amici ..."

21. „Videtur temere commissum, verum, ut opinor, hoc fuit causae."

55. „non familia deiecisset, ut opinor, sed aliquis de familia."

79. „Conveni ego ... non neminem, ut opinor, istum ipsum quo vos auctore rem istam agere ... dicitis."

23. „praetor interdixit, ut est consuetudo, DE VI HOMINIBUS ARMATIS sine ulla exceptione ... ut ... restitueret."

28. „ita eum placidum mollemque reddidi, ut non auderet, sicut meministis, iterum dicere."

65. „contra verbis et litteris et, ut dici solet, summo iure contenditur."

82. „Aut tuo, quem ad modum dicitur, gladio aut nostro defensio tua conficiatur necesse est.

b) particulis finalibus:

30. „Verum tamen is testis — ut facile intellegeretis eum non adfuisse animo, cum causa ab

---

[1]) cf. supra p. 67 sq.

illis ageretur testesque dicerent, sed tantisper de aliquo reo cogitasse — ... solus dixit non fuisse."

84. „me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ... revocas."

98. „Quaeri hoc solere me non praeterit — ut ex me ea quae tibi in mentem non veniunt audias — quem ad modum ... nostri cives profecti sint."

c) particulis causalibus:

11. „Moritur Fulcinius — multa enim, quae sunt in re, quia remota sunt a causa, praetermittam — testammento facit heredem ... filium."

50. „hoc interdictum putamus eorum esse causa compositum qui ... dicerent — eos enim vere possumus dicere esse deiectos — an ... putabimus ...?"

Quibus addam parentheses has:

24. „ferro, inquit, ferro" — et hoc dicit in iudicio — „te reieci et proterrui."

89. „Etenim, Piso, — redeo nunc ad illa principia defensionis meae — si quis te ... deiecerit, quid ages?"

De interpositionibus verbo „inquam" effectis cf. supra p. 75.

Atque cum ad summam perfectionem et absolutionem adductam esse in Pompeiana concinnitatem cognoverimus, contra in Caeciniana illam tantummodo lenem infirmam fluxamque esse exempla satis docent. Quod plane convenire ad praecepta Ciceronis ostendit or. 83: „Illam autem concinnitatem ... adhibet hic quidem subtilis (orator), ... sed paulo parcius." Ad quae addo or. 84: „Illa de quibus ante dixi huic acuto fugienda sunt: paria paribus relata et similiter conclusa eodemque pacto cadentia et immutatione litterae quasi quaesitae venustates, ne elaborata concinnitas De concinnitate.

et quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat."[1])

De congruentia verborum. Atque re vera frustra quaeres in Caeciniana sermonis congruentiam tam longe arcessitam et elaboratam ut in Pompeiana;[2]) figurae illius disiunctionis, quam ut effectricem concinnitatis gravem valere plurimum in Pompeiana cognovimus,[3]) exstant in Caeciniana exempla pauca et minus insignia; quae afferre mihi liceat:

14. „ficto officio simulataque sedulitate."

31. „in praesenti metu mortis perspicuoque periculo caedis."

33. „nec iuri tam inimicum — nec aequitati tam infestum."

50. „impudentiam summam aut stultitiam singularem."

52. „ad verba . . . oboediant — ad id . . . obtemperent."

93. „armatus...contendisset—inermis... certaret."

De contrariis. Quod autem attinet ad rationem contra ponendi negari nequit exstare in oratione Caeciniana antitheses valde numerosas. Quae quidem frequentia haud mira est, cum rectissime cognoverit Naegelsbach,[4]) postulare omnino veterum bene dicendi praecepta ut oratio produceretur arte res contra ponendi. Sed dilucide apparet a summa illa arte antitheses exstruendi et variandi, quam admirati sumus in Pompeiana,[5]) multum abhorrere

---

[1]) cf. Quint. 9, 3, 102; cf. etiam Kroll or. p. 85.

[2]) Ut cognoscas Caecinianae sermonis concinni exempla maxime insignia, aspicias velim exempla quae sequentur antitheseos.

[3]) cf. supra p. 60 sq.

[4]) Lat. Stilistik[9] p. 677 [§ 166]: „Wer die alten Sprachen nur mit einiger Aufmerksamkeit betrachtet, der wird nicht in Abrede stellen, daß es ein charakteristisches Merkmal, ja ein Prinzip des antiken Stiles ist, die Rede fortschreiten zu lassen in Gegensätzen." Cf. etiam Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 641.

[5]) cf. supra p. 64 sq.

contraria Caecinianae, in qua bina vel singula, non — ut in illa oratione — terna vel plura vocabulorum paria ex contrario collocata sunt, ut docet exemplum hoc longe patens:

63. „Non enim maior est iniuria si tua familia quam si tuus vilicus, non si tui servi quam si alieni ac mercennarii, non si tuus procurator quam si vicinus aut libertus tuus, non si coactis hominibus quam si voluntariis aut etiam adsiduis ac domesticis, non si armatis quam si inermibus qui vim armatorum haberent ad nocendum, non si pluribus quam si uno armato."

Simpliciorem modum contra ponendi cognoscet qui leget haec quoque antitheseos exempla:

10. „et vivus ipse multis rebus ostendit et in morte sua testamento declaravit."

17. „expensa pecunia *lata* sit acceptaque *relata*."

23. „non minus nos stultitia illius *sublevat* quam *laedit* improbitas."

32. „Posterius de *verbo* videbimus; nunc *rem* ipsam ponamus."

36. „vim fieri *vetat* aut restitui factam *iubet*."

38. „non de armis dubitatum sed de verbis quaesitum esse."

42. „cum corpore *debilitantur*, animo tamen *non cedunt*."

ibid. „maior adhibita vis ei sit cuius animus sit *perterritus* quam illi cuius corpus *volneratum sit*."

43. „vulnus *corporis* magis istam vim quam terror *animi* declarabit?"

44. „Potestis principia *negare*, cum extrema *conceditis*."

46. „deterior causa sit eorum qui fugerint quam qui ad extremum usque contenderint."

53. „Verba ... non ... impedirent sed ... indicarent voluntatem."

70. „non homines *laedit,* sed leges ac iura *labefactat.*"

71. „bono viro iudici *error obici,* improbo *facultas dari.*"

75. „patrimonium *unius* incommodo dimittetur, ius amitti non potest sine magno incommodo *civitatis.*"

79. „eum auctorem vos pro me *appelletis,* nostrum *nominetis.*"

86. „Est enim vestri ingeni non meam, sed maiorum prudentiam cognoscere; non id sum dicturus quod ego *invenerim,* sed quod illos *non fugerit.*"

93. „Hunc qui ab iure, officio, bonis moribus ad ferrum, ad arma, ad caedem confugerit, nudum in causa destitutum videtis, ut qui armatus de *possessione* contendisset, inermis plane *de sponsione* certaret."

96. „me *tuum* aut te *meum* servum esse."

Neque difficile est cognitu ea contraria magna ex parte explicationem habere in causa ipsa de qua agitur. Quod non mirum est, nam ipsam rationem antithetice dicendi praecipue idoneam esse quae causam explicet et perspicuitatem efficiat, docet iam Aristoteles: „*τἀναντία γνωριμώτατα καὶ παρ᾽ ἄλληλα μᾶλλον γνώριμα.*" [1])

Atque haec natura Caecinianae antitheseon etiam magis apparet ex multis exemplis aliis. Cum enim orator vocabulum „unde" interpretetur, ostendit multis verbis aliquo modo inter se oppositis, id vocabulum significare et „ex quo loco" et „a quo loco". Cf. 80, 86—89.

Praeterea Ciceronem id quoque agere in hac oratione ut ostendat legum non verbis et litteris sed sententiae et aequitati obtemperandum esse. Itaque saepissime contra posita legimus haec vocabula, ut

---

[1]) art. rhet. III, 9, 1410ª [p. 199, 21—22 Roe.].

49. „Ain tu? qui tam diligenter et tam callide verbis controversias non aequitate diiudicas, et iura non utilitate communi sed litteris exprimis, poterisne dicere deiectum esse eum qui tactus non erit?“ Cf. similiter 37, 38, 50, 51, ibid., 54, 58, ibid., ibid., 59, ibid., 60, 63, ibid., ibid., 65, ibid., 66, 77, 79, 81, ibid., ibid., 83, 84, 86, 89, 90.

Plane autem abhorrere a Pompeianae artificioso modo contra ponendi et variandi demonstrant Caecinianae antitheta permulta illa, quae effecta sunt repetitione eiusdem verbi particula negativa addita, quae magnopere serviunt sermonis perspicuitati,[1]) ut legimus[2]):

31. „Quibus igitur in rebus vis intellegi potest, si in his non intellegetur?“

38. „Non enim vereor ne hoc dicas, in eadem causa eodem interdicto te oportere restitui, Caecinam non oportere.“

Legimus praeterea:

34. „haberem — non haberem.“
39. „cogatur — non cogatur.“
43. „appellatur — non appellabitur.“
ibid. „movet — non movisse.“
45. „satis est — non est satis“.
ibid. „valebit — non valebit.“
46. „statuetis — ne statuatis.“
48. „accedere — non accesserit.“
67. „faciebat — in nulla (causa) facis.“
72. „factum esse — nunquam esse factum.“
76. „restituas — non restitues.“

---

[1]) cf. E. Berger, Lat. Stil., Berol.[9] 1896, p. 124 sq.

[2]) In Pompeiana huiusmodi antitheses repetitione eiusdem verbi effectas non legimus nisi 38: „Neque enim exercitum is continere potest, qui se ipse non continet,“ cum Rabiriana praebeat exemplum hoc (19): „Confitebor id quod ad laudem minus valebit, ad crimen non minus.“

85. „oportere — non oportere."
90. „posse — nullo modo posse."
ibid. „non oportere — oportere."
93. „esset additum — additum non est."
96. „nullo modo possit — possit."
ibid. „potest — non potest."
ibid. „esse — non est."
98. „est acceptus — non accipiunt."
99. „voluerunt — noluisse."
100. „vellent — nolunt."

Sed satis multa de verbis contra positis.

De homoeoteleutis.

Exemplis, quae supra attulimus, quam late pateat concinnitas in hac oratione iam satis ostendi persuasum habeo, quare inutile fere puto verba multa facere de homoeoteleutis, quae haudquaquam comparanda esse cognovimus cum Pompeiana, quam sine intervallo fere haec lumina illustrant. At contra caveas ne Ciceronem anxium esse in iis adhibendis credas! Proponas enim velim tibi exempla, qualia haec:

13. „infere**bat** et intro da**bat** et ... adduce**bat**."

20. „Placuit ... constituere, quo die in rem praesentem veniretur et de fundo Caecina moribus deducer**etur**. Conloquun**tur**; dies ex utriusque commodo sumi**tur**."

36. „de foss**is**, de cloac**is**, de minim**is** aquarum itinerumque controversi**is** interdicit."

37. „si ne tuorum quidem quisquam loco mot**us** erit atque omnes in aedib**us** adservat**i** ac retent**i**, tu sol**us** prohibit**us** et a tuis aedib**us** vi atque armis proterrit**us**, utrum hanc actionem habebis qua nos usi sum**us** an al**iam** quamp**iam** an omnino null**am**?"

49. „Quid? si fu**isset** et ex eo loco metu permotus fug**isset**, cum armatos vid**isset**, diceresne esse deiectum?"

Praeterea dignum puto quod commemoretur exemplum hoc insigne:

30. „Subito, ecce idem qui solet, du**os** sol**os** serv**os**

armatos fuisse dixit," ubi certe minus quaesivit formam congruentem orator quam neglegentia quadam sermonis vulgaris propria admisit.

Restat ut tractemus orationem **Rabirianam.** III. De Rabiriana.

Sane quaeres frustra fere certas notas et formulas ad structuras huius dicendi generis pertinentes. Minime mirum id quidem. Propositum est enim oratori, cum huic eloquentiae studet, „suam copiam cum illis duobus generibus temperare"[1]) vel potius „omni modo permovere".[2]) Quare inveniuntur omnis generis structurae, cum legamus periodos amplissimas et longissime patentes — dico structuras §§ 20 et 21 — et enuntiata brevia et minuta, qualia legimus §§ 20 et 31. Quamquam esse universe neque tam amplas, ut in Pompeiana, neque tam minutas, ut in Caeciniana sententias Rabirianae clarissime ratio nos docet,[3]) quam ob rem non inscite iudicat L. Laurand: „Si la période est moins longue (quam in genere dicendi medio), la phrase n'est jamais aussi coupée que dans le style simple."[4])

Neque negari potest — quod iam in priore parte, quae erat „de delectu verborum", cognovimus — prope accedere huius orationis genus dicendi ad illum sermonem, qui mediocris dici solet, cum sententiarum structurae summa arte sint compositae atque eadem diligentia inter se conexae atque in Pompeiana.[5]) Atque sermonis et modus ille numerusque et con-

---

[1]) or. 99.

[2]) or. 97.

[3]) Euuntiata enim quibus sunt dena verba vel minus, numeravi in
Caec. 42 % Rab. 25 % Pomp. 16,5 %.

Sententias autem quae praebent vicena quina verba vel plus, numeravi in
Caec. 18,9 % Rab. 26 % Pomp. 33,4 %.

[4]) l. c. p. 301.

[5]) cf. supra p. 56.

cinnitas[1]) illa, quas res praecipue quaeri ad delectationem iam satis scimus, quare maxime in Pompeiana inveniuntur, certo permagnae sunt gravitatis in hoc quoque sermone; attamen meo quidem iudicio illae virtutes, si nimis — ut in Pompeiana — prominent et in aures cadunt, abhorrent a genere hoc sublimi, quod imprimis flectere velit audientium animos et percutere. Quare rectissime iudicat ipse Cicero de tali sermone iis virtutibus nimis abundante, cum eum „si semper utaris" putet „detrahere actionis dolorem." [2])

Vis et dolor agitant structuras Rabirianae.

Re vera vis et dolor tamquam tempestas undas vehementer excitant Rabirianae structuras, quae fluunt fere non tam tranquille et molliter ut in Pompeiana, sed ostendunt aliquid violentum et acre, quod praecipue inde cognosci potest, quod ipsa in Rabiriana sententias, quae formis maxime vim efficientibus et anaphorae et interrogationis rhetoricae exornatae sunt, multo saepius exstare quam in duabus alteris orationibus videbimus (cf. infra p. 122 et 126).

Ad hunc igitur sermonem cognoscendum velim legas: 21. „De te ipso, inquam, Labiene, quaero. Cum ad

---

[1]) Concinnitatis exempla afferam infra p. 88 sqq.

[2]) or. 209. — De numero nimis in sermone abundante iudicat Quint. inst. or. IX, 4, 143: „Quo dulcius est [sc. numerose dicere], magis perdit amittitque et fidem et adfectus motusque omnis, qui est in hac cura deprensus. Nec potest ei credere aut propter eum dolere et irasci iudex, cui putat hoc vacare." — De concinnitate autem nimis elaborata iudicat idem l. c. IX 3, 102: „maior enim pars harum figurarum posita est in delectatione. Ubi vero atrocitate, invidia miseratione pugnandum est, quis ferat contra positis et pariter cadentibus et consimilibus irascentem, flentem, rogantem? cum nimia in his rebus cura verborum deroget adfectibus fidem." Quae concinnitatis *σχήματα* „*ἐκλύειν τὴν δεινότητα διὰ τὴν κακοτεχνίαν*" putat Demetr. Phal. (*π. ἑρμ.* 27), quare illa significat „*οὔτε ἐν δεινότητι χρήσιμα, οὔτε ἐν πάθεσι καὶ ἤθεσιν*" (ibid. 28).

arma consules ex senatus consulto vocavissent, / cum armatus M. Aemilius, princeps senatus, in comitio constitisset, qui cum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum sed ad fugiendum impedimento fore putabat, / cum denique Q. Scaevola confectus senectute, perditus morbo, mancus et membris omnibus captus ac debilis, hastili nixus et animi vim et infirmitatem corporis ostenderet, / cum L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus omnesque qui tum erant consulares pro salute communi arma cepissent, / cum omnes praetores, cuncta nobilitas ac iuventus accurreret, Cn. et L. Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Drusus, / cum omnes Octavii, Metelli, Julii, Cassii, Catones, Pompeii, / cum L. Philippus, L. Scipio, / cum L. Lepidus, / cum D. Brutus, / cum hic ipse P. Servilius, quo tu imperatore, Labiene, meruisti, / cum hic Q. Catulus, admodum tum adulescens, / cum hic C. Curio, / cum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent: / quid tandem C. Rabirium facere convenit? // utrum inclusum atque abditum latere in occulto atque ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere, an in Capitolium pergere atque ibi se cum tuo patruo et ceteris ad mortem propter vitae turpitudinem confugientibus congregare, an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scaevola, cum bonis denique omnibus coire non modo salutis verum etiam periculi societatem?“

Eius periodi artificiose constructae et efficacissime dispositae series perpetuata sententiarum, quas longitudine magis magisque decrescentes[1]) facile percepisti, quin aliquid violentum tribuat sermoni et vehemens maximeque sit idonea ad audientium animos ex-

[1]) Decrescendi vim ut facilius cognoscas, quaeso lege illi periodo praecedentem quoque structuram, quae ambae anaphora praepositionis „cum“ longissime producta cohaerent (66 + 24 + 17 + 8 + 26 + 24 + 23 + 20 + 8 + 5 + 3 + 3 + 10 + 7 + 4 + 8 vocabula).

citandos quis est qui dubitet? Hic maxime Cicero se ostendit oratorem „amplum copiosum, gravem ornatum, in quo profecto vis maxima est“, cuius eloquentia „cursu magno sonituque fertur“.[1]) Atque egregie comparari potest cum eiusmodi sermone contento oratoria illa vis Demosthenis, quae elucet praecipue in oratione de corona habita, ubi legimus:[2])

71. „*ἀλλ' ὁ τὴν Εὔβοιαν ἐκεῖνος σφετεριζόμενος / καὶ κατασκευάζων ἐπιχείρισμ' ἐπὶ τὴν Ἀττικήν καὶ Μεγάροις ἐπιχειρῶν / καὶ καταλαμβάνων Ὠρεόν, / καὶ κατασκάπτων Πορθμόν, / καὶ καθιστὰς ἐν μὲν Ὠρεῷ Φιλιστίδην τύραννον, ἐν δ' Ἐρετρίᾳ Κλειταρχον, / καὶ τὸν Ἑλλήσποντον ὑφ' αὑτῷ ποιούμενος, / καὶ Βυζάντιον πολιορκῶν, / καὶ πόλεις Ἑλληνίδας τὰς μὲν ἀναιρῶν, εἰς τὰς δὲ τοὺς φυγάδας κατάγων, / πότερον ταῦτα πάντα ποιῶν ἠδίκει καὶ παρεσπόνδει καὶ ἔλυε τὴν εἰρήνην ἢ οὔ; καὶ πότερον φανῆναί τινα τῶν Ἑλλήνων τὸν ταῦτα κωλύσοντα ποιεῖν αὐτὸν ἐχρῆν ἢ μή;*“

Enumerationem autem nominum illam, quam legimus in Rabirianae paragrapho eadem (21), profecto simillimam cognosces illustri et omnibus noto illi indici nomina habenti Graecorum eorum, qui patriam prodiderant, quem invenimus Dem. de cor. 294/5.[3])

Praeterea legas Rab. 13: „Namque haec tua, quae te, hominem clementem popularemque delectant, ‚I LICTOR, CONLIGA MANUS‘, non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem aut Numae Pompili; Tarquini, superbissimi atque crudelissimi regis, ista sunt cruciatus carmina quae tu, homo lenis ac popularis libentissime commemoras: ‚CAPUT OBNUBITO, ARBORI INFELICI SUSPENDITO‘, quae verba, Quirites, iam pridem in hac re publica non solum tenebris vetustatis verum etiam luce libertatis oppressa sunt.“

---

[1]) or. 97.

[2]) De Demosthenis huius loci vi oratoria cf. Blass l. c. III, 1^2 p. 157.

[3]) De hoc Demosthenis loco cf. Blass l. c. III, 1^2 p. 158.

Cuius periodi conformationem abruptam plane accommodatam esse ad acerbum dolorem, qui animos et oratoris et audientium tantorum imagine terrorum percutit, certe negari nequit.

Neque desunt in hac oratione exempla „incisim et membratim tractatae orationis“, quae „in veris causis plurimum valere“ supra (p. 70 sq.) cognovimus, ut haec verba concitate edita:

31. „At occidit Saturninum Rabirius. Utinam fecisset! non supplicium deprecarer sed praemium postularem.“

Legas etiam § 20 (cf. infra p. 121).

Atque ut illius diffusi complexus verborum (§§ 20 et 21; cf. supra p. 84 sq.) membra gradatim decrescentia optime oratoris animi impetus exprimere vidimus, ita haec breviora enuntiata quoque decrescentia:

27. „Quid de illis honestissimis viris atque optimis civibus, equitibus Romanis, dicemus qui tum una cum senatu salutem rei publicae defenderunt?

quid de tribunis aerariis ceterorumque ordinum omnium hominibus qui tum arma pro communi libertate ceperunt?

sed quid ego de eis omnibus qui consulari imperio paruerunt loquor?

de ipsorum consulum fama quid futurum est?“

(20 + 15 + 11 + 7 verba)

Atque ut sermo decrescens, ita nimirum accrescens quoque maxime idoneus mihi esse videtur ad vim dicendi augendam, ut elucet ex hoc exemplo:

22. „Quid? pater quicum?
quid? propinqui vestri, equites Romani?
quid? omnis praefectura, regio, vicinitas vestra?
quid? ager Picenus universus utrum tribunicium furorem an consularem auctoritatem secutus est?“

Praecipue etiam opportunae ad exprimendos motus

animi vehementiores sunt sententiae particula illa gravi „utinam“ effectae, de qua conferas supra p. 53.

De interpositionibus.

Nimirum proprium est ut generis dicendi medii ita huius quoque sublimis sermonis hoc, ut quam maxime vitentur parentheses illae, quas permultas orationi Caecinianae sive perspicuitatis causa sive propter neglegentiam insertas supra[1]) cognovimus. Legimus tantummodo „ut omittam cetera“ (20), „mihi credite“ (18), „credo“ (29). Certe autem maxime rhetoricam cognosces interpositionem particula pathetica „at“ inchoatam hanc:[2])

20. „— at quorum equitum, di immortales! patrum nostrorum atque eius aetatis, qui tum magnam partem rei publicae atque omnem dignitatem iudiciorum tenebant —“

et imprimis parenthesin hanc, qua artificiosiores non legimus nisi raro apud Ciceronem:[3])

18. „— Nihil me clamor iste commovet sed consolatur, cum indicat esse quosdam civis imperitos sed non multos. Numquam, mihi credite, populus Romanus hic qui silet consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quanto iam levior est acclamatio! Quin continetis vocem indicem stultitiae vestrae, testem paucitatis! —“

De concinnitate.

De congruentia verborum.

Ut sermonis concinnitatem quae ne nimium extollatur oratori huic sermoni studenti iis de causis, quas fuse supra[4]) attuli, cavendum est, tamen in hoc dicendi genere non neglegendam esse facile concedis, ita congruentiam illam verborum, quam efficit praecipue figura disiunctionis, compluries maxime insignem invenies, paulo rarius quidem quam in Pompeiana, saepius autem et elegantius formatam quam in Caeciniana:

---

[1]) p. 75 sqq.

[2]) cf. A. Roschatt, Über den Gebrauch der Parenthesen in Ciceros Reden und rhetorischen Schriften, Erl. 1883, p. 25 sq.

[3]) cf. Roschatt l. c. p. 20.

[4]) cf. p. 84.

11. „castam contionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnim civium Romanorum, integrum ius libertatis defendo servari oportere."

13. „non modo suppliciis invistatis sed etiam verborum crudelitate inaudita violare libertatem huius populi ... conatus es?"

22. „Cum ignaviae ratio te in fugam atque in latebras impelleret, improbitas et furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret, consules ad patriae salutem ac libertatem vocarent, quam tandem auctoritatem, quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimum velles?"

26. „Q. vero Catulum, patrem huius, in quo summa sapientia, eximia virtus, singularis humanitas fuit, ... defendemus?"

Neque negari potest nobis occurrere in hac oratione antitheses non paucas, quibus insit vis maxime oratoria, etiamsi plerumque eas esse non tam elaborata verborum congruentia quam in Pompeiana facile cognosces; intellegas enim antitheseos vim huius: De contrariis.

12. „Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore *amovit*, hic misericors flagella *rettulit;* Porcia lex libertatem civium lictori *eripuit*, Labienus, homo popularis, carnifici *tradidit;* C. Gracchus legem tulit *ne de capite* civium Romanorum iniussu vestro *iudicaretur,* hic popularis a II viris iniussu vestro non iudicari de cive Romano sed indicta causa civem Romanum *capitis condemnari coegit.*"

Afferam sententiam antitheticam hanc quoque maxime rhetoricam:

30. „Quirites, exiguum nobis *vitae* curriculum natura circumscripsit, immensum *gloriae.*"

Sequantur cetera exempla, quae mihi praecipue idonea esse videantur:

10. „utinam hoc, quod ille *crimen* esse volt, proprium testimonium meae *laudis* esset."

14. „Scilicet tibi graviorem dolorem *patrui* tui mors attulit quam C. Graccho *fratris*, et tibi acerbior *eius patrui* mors est quem **nunquam vidisti** quam illi *eius fratris* **quicum concordissime vixerat,** et simili iure tu ulcisceris *patrui* mortem atque ille persequeretur *fratris*."

15. „Hic se *popularem* dicere audet, me *alienum a commodis vestris*, cum iste omnis et suppliciorum et verborum *acerbitates* non ex memoria vestra ac patrum vestrorum sed ex annalium monumentis atque ex regum commentariis *conquisierit*, ego omnibus meis opibus, omnibus consiliis, omnibus dictis atque factis *repugnarim et restiterim crudelitati*."

16. „An servos nostros horum suppliciorum omnium metu *dominorum benignitas* vindicta una liberat; nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore *neque res gestae neque acta aetas neque vestri honores* vindicabunt?"

18. „id C. Rabirius multorum testimoniis, Q. Hortensio defendente, antea *falsum esse docuit;* ego autem, si mihi esset integrum, *susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer*."

25. „Quae causa ante *mortua* est, quam tu *natus* esses."

31. „Utinam fecisset! non supplicium *deprecarer*, sed praemium *postularem*."

ibid. „si Scaevae, servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data est, quod equiti Romano praemium dari par fuisset?"

De homoeoteleutis.

Neque mirum est satis frequenter nobis occurrere in hoc sermone ut grandi homoeoteleuta insignia, quamvis rarius quam in Pompeiana; legas enim exemplum insigne hoc:

10. „Sed ista laus prim**um** est maior**um** nostror**um**, Quirites, qui expulsis regibus null**um** in libero populo vestigi**um** crudelitatis regiae retinu**erunt**, deinde mult**orum**

vir**orum** fort**ium** qui vestram libertatem non acerbi**tate** supplicio**rum** infes**tam** sed leni**tate** le**gum** muni**tam** esse volu**erunt**.“ Praeterea affero 13: „quae verba, Quirites, iam pridem ... non solum tenebris vetus**tatis** verum etiam luce liber**tatis** oppressa sunt.“ — Cf. etiam §§ 6, 11, 20, 25, 26, 28, 29, 30.

De clausulis.

Quoniam quantopere operam dederit Cicero structuris et compositioni verborum cognovimus, hoc loco paucis exponere necesse est quas artes et rationes adhibuerit in sententiis numerose terminandis, i. e. clausulis.[1]) — Iam supra sermonem praecipue laudationis Pompeianae eo spectare ut audientium delectaret aures satis intelleximus, quam ob rem sententias imprimis huius orationis numerose et dulciter cadere haud mirum est, cum efficiant formulae ditrochaei (— ⏑ — ⏒) et cretici coniuncti cum trochaeo (— ⏑ — — ⏒), quas maxime in deliciis habuisse Ciceronem iam satis notum est,[2]) permagnam partem clausularum fere 67,2 %, in Caeciniana autem tantummodo 50,7 %.[3]) Etiam formulas paeonis I, qui in locum cretici substituitur, aucti trochaeo (— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏒) habes in Pompeiana 11,5 %, contra in Caeciniana tantummodo 4,8 %.[4])

De cl. Pompeianae.

---

[1]) cf. etiam L. Laurand l. c. p. 289–294.

[2]) cf. Norden, A. K. p. 923 sqq.; J. Wolff, Neue Jahrb. f. Phil. Suppl. 26 p. 594 sq.; Reisig-Haase l. c. III p. 862.

[3]) Numeravi, cum neglegerem clausulas interiores, in Caeciniana clausulas 292, in Pompeiana 235, in Rabiriana 107. — Inveniuntur formae ditrochaei (— ⏑ — ⏒) in Pompeiana 84 exempla, in Caeciniana autem 76. Atque leguntur formae cretici coniuncti cum trochaeo (— ⏑ — — ⏒) 74 exempla in Pompeiana, 72 in Caeciniana.

[4]) Inveniuntur paeonis I aucti trochaeo exempla in Pompeiana 27, in Caeciniana tantummodo 14.

Neque omittam hoc loco — quod gravissimum erat artificium Ciceroni in oratione Pompeiana conficienda — pleonasticum illud dicendi genus verborum sentiendi — ut „puto", „existimo", „arbitror" —, quo praecipue numerosam fieri iucundeque cadere orationem notum est.[1]) Atque re vera eorum verborum, quibus adnumerare mihi liceat verbum „videndi", invenimus in Pompeiana numerum maiorem, quam in Caeciniana, cum illius singulae paginae 2,5 ies, huius autem tantummodo 1,4 ies ea praebent. Atque persaepe ad nullam rem servire nisi ad sermonem efficiendum numerosum Pompeianae illa verba dilucide apparet. Legimus enim:

Pomp. 27. „Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis ut haec vobis deliberatio difficilis esset quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putaretis!" Quae quidem oratio certe gravius cadit quam si legeremus: „quisnam . . . praeficiendus esset". — Cf. etiam Pomp. 11, 23, 26, 40, 42, 44.

Addo: Pomp. 38. „Tum facilius statuetis quid apud exteras nationes fieri existimetis." Cf. etiam Pomp. 32, 46.

A qua ratione et abundanter et numerose dicendi non est aliena conclusio haec satis pleonastica verbo „videndi" effecta, qua oritur clausula illa apud Ciceronem gratiosa paeonis I aucti trochaeo „esse videatur",[2]) ut legimus Pomp. 27: „Restat ut de imperatore ad id bellum deligendo

---

[1]) cf. M. Seyffert, Palaestra Ciceroniana Lips.[5] p. 72: „Der Pleonasmus der Verba des Denkens, Meinens, Dafürhaltens, ein sehr wesentliches Mittel zur periodischen Abrundung." A. W. Zumpt, Lat. Gramm.[13] p. 503 (§§ 750 et 751); Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 673.

[2]) cf. Quint. inst. or. X 2, 18; IX 4, 73. Tac. dial. 23. Cf. etiam Reisig-Haase l. c. p. 862. — In Caeciniana non legimus hanc conclusionem nisi 71 et 78 (Conferas autem supra p. 50/51).

ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur.“ Quam conclusionem legimus praeterea Pomp. 10, 24, 41, 47, 59, 67; „esse videantur“: 10 et 20.

De cl. Caecinianae.

Quae ratio satis docet Ciceronem in genere dicendi medio tantam diligentiam adhibere ut universe numero orationis ita praecipue sermonis conclusionibus, quantam frustra quaeres in Caeciniana, cuius in sermone magis diffluente et soluto placuisse Ciceroni clausulas multo liberiores[1]) haud difficile est intellectu; quin etiam clausulam heroicam (— ◡ ◡ — ⏓), quae ut vitanda sit Cicero monet,[2]) aliquoties legimus in hac oratione, ut 18: „bo/nis ut haberet“. 28: „ab/esset ab urbe“. 88: „restituatur“.[3])

De cl. Rabirianae.

Profecto quidem non decent sermonem Rabirianae grandem ardentemque, qui „cursu magno sonituque feratur,“[4]) conclusiones illae numerosae quas cognovimus proprias Pompeianae ut orationis „molliter“ et „sedate placideque liquentis“;[5]) quare ditrochaei et cretici aucti trochaeo exempla, quae 67,2 % invenimus in Pompeiana, tantummodo 55,2 % nos legere in Rabiriana, quamquam frustra quidem quaeres exempla pessimae illius clausulae heroicae in hac oratione.

---

[1]) cf. or. 77, 224.

[2]) cf. or. 217: Kroll or. p. 184; Laurand l. c. p. 167 sq.

[3]) A. C. Clarkius (or. pr. Caec. 24) a vulgata lectione „est alienum“ recedens ingeniose, ut solet, emendare studet „sit alienum“; quamquam illa quidem lectio mihi nihil praebere offensionis videtur, praesertim cum a sermone ipsius Caecinianae magis naturali non abhorreat clausula heroica, quod satis liquet ex exemplis supra allatis et aliis iisque interioribus, quas enumerat L. Laurand (l. c. p. 168): Caec. 44: „igi/tur fugiebant?“ ibid. „Quid metuebant?“ 55: „constituamus“, 59: „restitu/i voluerunt“, 75: „restituetur“,.

[4]) or. 97.

[5]) or. 92.

C. De ornamentis.

In hac parte tertia mihi proposui ut dissererem de ornamentis a Cicerone in his tribus orationibus adhibitis.[1]) Proprie autem dicere ornamenta Ciceronem tropos et figuras discimus ex Brut. 69: „Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant *τρόπους*, et sententiarum orationisque formis, quae vocant *σχήματα*."

I. De translationibus.

De tr. Pompeianae.

Ac primum quidem in sermone mediocri, cui „omnia dicendi ornamenta convenire" [2]) scimus, arti translate[3]) quoque dicendi Cicero plurimum concedere videtur. Quod quidem studium certe minus pertinet, si verum scire vis, ad numerum quam ad naturam et indolem translationum; atque re vera, quemadmodum orationem Phalerei Demetrii, quem sicuti Isocratem[4]) exemplum assumpsit ad imitandum sermonem mediocrem Cicero, eodem modo „inlustrant eam — dico orationem Pompeianam — quasi stellae quaedam translata

---

[1]) cf. etiam L. Laurand l. c. p. 295 et 301.

[2]) or. 92.

[3]) Usurpo hoc loco verbum translationis significatione latiore. Cf. B. Linderbauer, De verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione, II Mett. 1893, p. 25 sq.

[4]) Isocratem quamquam non adhibuisse constat tropos nisi raro („*ἄτολμός ἐστι περὶ τὰς τροπικὰς κατασκευάς*" Dion. Hal. d. Dem. c. 18 [v. I p. 166, 15—16 U.-R.] — „*ἡ δ' Ἰσ. λέξις προσλαβοῦσά τι τῆς τροπικῆς κατασκευῆς*" id. d. Isocr. c. 11 [vol. I p. 70, 21—22]. Cf. etiam Blass l. c. II² p. 131), tamen illum amplius concessisse eorum elegantiae videntur demonstrare huius oratoris praecepta rhetorica ad genus quidem *ἐπιδεικτικόν* pertinentia, quod in genere dicendi medio consedisse cognovimus, quae Blass (l. c. II² p. 114) exponit ita: „Der Kunstredner (= *ὁ ἐπιδεικτικός*) indes nähert sich auch im Schmuck der Worte dem Dichter (cf. Isocr. Antid. 47); darum die Vorschrift der Techne: entweder eine nicht harte Metapher oder das schönste Wort ... anzuwenden" (cf. Isocr. frg. 12).

verba atque immutata" [1]) quae propter elegantiam et audaciam egregie idonea sunt ad amplificandum colorem poeticum huius orationis proprium.[2]) Supra enim iam cognovimus, orationem Pompeianam esse hymnum quo canit Cicero Pompei virtutes eodem fere modo quo poetae praedicare solent viri fortissimi cuiusdam facinora mirifica. Quare haud mirum est in hac oratione quasdam translationes nos legere, quae inveniuntur in libris praecipue poetarum vel poetarum similibus,[3]) ut docent multa exempla, ex quibus primum cognoscas, quae maxime exornent orationem, continenter fluentia et antithetice constructa[4]) haec:

7. „(Mithridates) ... regnat, et ita regnat ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit sed emergere ex patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est in Asiae luce, versari."

17. „Etenim, si vectigalia nervos esse rei publicae semper duximus, eum certe ordinem qui exercet illa firmamentum ceterorum ordinum recte esse dicemus."

19. „Etenim — mihi credite id quod ipsi videtis — haec fides atque haec ratio pecuniarum quae Romae, quae in foro versatur, implicata est cum illis pecuniis Asiaticis et cohaeret; ruere illa non possunt ut haec non eodem labefacta motu concidant."

Huc etiam pertinere mihi videtur, quam laudat Naegels-

---

[1]) or. 97.

[2]) cf. Naegelsbach l. c. p. 538 [§ 126]: „Auf den Tropen beruht die Poesie der Prosa."

[3]) Ob oculos hic mihi versatur sermo panegyricorum scriptorum qui „Ciceronem aliosque optimos auctores imitabantur" et „saepe vocibus usi sunt, quas aut nulli alii quam poetae aut scriptores solutae orationis rarius usurpabant". C. G. Chruzander, De elocutione panegyricorum veterum Gallicanorum, Ups. 1897, p. 5.

[4]) Naegelsbach l. c. p. 603, 6 [§ 139, 6].

bach[1]) Romanorum consuetudo, qua diversis subiectis eiusdem sententiae secundum eorundem vim diversa verba attribuant translatione usu; ut legimus:

30. „Testis est Italia quam . . . confessus est liberatam; testis Sicilia quam multis undique cinctam periculis . . . explicavit; testis Africa quae . . . hostium . . . sanguine redundavit; testis Gallia per quam . . . iter . . . patefactum est; testis Hispania quae . . . hostis . . . conspexit.“

Addo 15: „pecua relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit“ et 48: „Non modo cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes oboedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.“ [2])

A quibus exemplis non est aliena haec verbi „devocandi“ translatio continua:

40. „Non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.“ [3])

Eminent etiam in hac oratione complura exempla

---

[1]) Dicit hoc loco Naegelsbach (l. c. p. 604) figuram illam disiunctionis quae quidem floreat in ratione translate dicendi. Fusius disserui de hac figura in hac oratione frequentata et exempla collegi supra p. 60 sq.

[2]) Huic exemplo translationis inest poeticus quidam color. cf. Halm, Cic. d. imp. Cn. Pomp. Lips. 1848 p. 182. — Imitatus esse videtur hunc locum Claudius Mamertinus in panegyrico Maximiano Augusto dicto (XII, 8 ed. Baehrens): „Facile itaque quivis intellegit, imperator, quam prosperi te successus in re maritima secuturi sint, cui iam sic tempestatum opportunitas obsequatur.“

[3]) Ciceronis haec quoque verba ante oculos fuisse videntur Claudio Mamertino, in cuius panegyrico genethliaco Maximiano Augusto dicto legimus IV, 1: „Ex istis ergo causis stirpis vestrae . . . illa eveniunt . . . quod diutius in isdem manere vestigiis dedignamini, quod vos a continuo cursu rerum gerendarum non modo amoenitas locorum aut nobilitas urbium sed ne ipsa quidem victoriarum vestrarum laetitia remoratur.“ — Cf. etiam Halm l. c. p. 172.

audacissime formata translationis eius, quae personificatio dici solet, quam ipsos poetas summa audacia tractare solere satis constat.[1]) Legimus enim — ut omittam, quod proxime attuli, exemplum audacter conformatum „venti ... obsecundarint" — exempla haec:

21. „classis ... studio atque odio inflammata raperetur."[2])

22. „Collectio (membrorum) dispersa maerorque patrius ... retardaret."[3])

25. „Tanta fuit (calamitas) ut eam ad auris imperatoris non ex proelio nuntius sed ex sermone rumor adferret."[4])

30. „Bellum eius (Pompei) adventu ... sublatum ac sepultum (est)."[5])

34. „Cn. Pompeio duce tanti belli impetus navigavit."[6])

---

[1]) cf. Naegelsbach l. c. p. 611 sq.; Seyffert, Pal. Cic. p. 38; J. Straub, de tropis et figuris, quae inveniuntur in orationibus Demosthenis et Ciceronis, Wirceb. 1883, p. 37.

[2]) Huius personificationis vis augetur voce gravissima „raperetur"; cf. Halm l. c. p. 130.

[3]) Conferas praeter id, quod ad hunc locum afferam infra p. 99, 4, etiam Ovid. met. XIII, 282 sq.: „nec me lacrimae luctusve timorve tardarunt, quin corpus humo sublime referrem." — Adiectivi enallagen, cuius legimus hoc loco exemplum „collectio dispersa", et maxime gratiosam fuisse apud poetas et rarissime usurpatam fuisse a scriptoribus solutae orationis scimus. Cf. Norden, Verg. Aen. VI p. 112 et Reisig-Haase l. c. p. 548, quo loco exemplum hoc ut rarissimum est allatum.

[4]) cf. Claud. Mamert. paneg. Max. Aug. dict. V, 4: „Ita cuncti Chaibones Erulique cuncti tanta internecione caesi interfectique sunt ut extinctos eos relictis domi coniugibus ac matribus non profugus aliquis e proelio, sed victoriae tuae gloria[m] nuntiaret."

[5]) cf. Hor. epod. 9, 25 sq.: „Cui (bello) super Carthaginem virtus sepulcrum condidit." Vell. Pat. II 75, 1: „Bellum adventu Caesaris sepultum atque discussum est." Ibid. II 89, 3: „sepulta externa (bella)", II 90, 1: „sepultis ... bellis civilibus".

[6]) „Impetus belli" est forma praecipue apud poetas gratiosa; cf. Lucr. d. n. d. V, 201 „impetus coeli". Stat. silv. IV 2, 23 „impetus

54. „Populus Romanus, cuius ... nomen invictum in navalibus pugnis permanserit.“ [1])

67. „Ora maritima Cn. Pompeium ... requisivit. Videbat enim praetores locupletari.“ [2])

Quibus exemplis addo leviora haec 15 „venit calamitas“, ibid. „adventus mali“.

Atque insignes afferam etiam translationes quae a luce vel similibus vocabulis petitae sunt, cuius ipsius generis multa et elegantissima exempla exstant in Ciceronis orationibus.[3]) Iam supra (p. 95) in translatione illa a sole petita legimus (§ 7): „in vectigalibus hoc est in Asiae luce versari“. Accedunt 33: „Divina virtus ... lucem adferre rei publicae potuit“. 41: „nunc imperi vestri splendor illis gentibus lucem adferre coepit.“ 11. „Corinthum ... totius Graeciae lumen exstinctum esse voluerunt.“

Quibus addo cetera translationum exempla:

7. „delenda est illa macula ... concepta quae penitus iam insedit.“ 8. „insignia victoriae“ [dictum est pro „triumphi“]. 23. „adflictum (Mithridatem) erexit (Tigranes).“ 24. „regum adflictae fortunae.“ 32. „Duodecim secures in praedonum potestatem pervenerint.“[4])

---

aulae“. Cf. etiam Halm l. c. p. 162. — Neque minus inest color poeticus elocutioni „belli impetus navigavit“, quam imaginem etiam invenimus Enn. ann. 386 [p. 70 Vahl.]: „Labitur uncta carina, volat super impetus undas“. — Ante oculos versatus esse videtur hic locus Floro II 2, 17: „Marco Atilio Regulo duce iam in Africam navigabat bellum.“

[1]) Idem fere praebet grave illud dictum Cic. Verr. V, 97: „quo ... neque populi Romani invicta ante te praetorem gloria illa navalis unquam ... penetrare potuit.“

[2]) Haec audax personificatio „ora maritima“ dicta est pro „incolae orae maritimae“; cf. etiam Seyffert, Pal. Cic. p. 38.

[3]) cf. C. Meißner, de translationibus Ciceronianis 1869 p. 26; Müller-Seyffert, Lael. p. 200 sq.

[4]) Qua metonymia etiam usus est Valerius Maximus I 1, 2: „Laudabile duodecim fascium religiosum obsequium, laudabilior quattuor et XX in consimili re oboedientia.“

26. „integrae gentes“ (i. e. gentes bello nondum lacessitae). 45. „Pompei adventus Mithridatem inflatum victoria continuit.“ 52. „Obsolevit ista oratio.“ 66. „Norunt sociorum vulnera“ [i. e. calamitates]. ibid. „animos ac spiritus capere“. ibid. „manus, oculos, animum cohibere“.

Atque poeticus etiam color inesse videtur formae illi periphraseos, quae quod brevius significari potest, nomine abstracto addito cum ornatu latius ostendit,[1]) ut

20. „Potest enim hoc dici, belli genus esse ita necessarium ut sit gerendum, non esse ita magnum ut sit pertimescendum.“

65. „Urbes iam locupletes et copiosae requiruntur quibus causa belli propter diripiendi facultatem inferatur.“ [2])

In rationem translate dicendi cadunt etiam similitudines, quod genus „ornat orationem facitque sublimem floridam, iucundam mirabilem“.[3]) Legas:

22. „Ex suo regno sic Mithridates profugit ut ex eodem Ponto Medea illa quondam fugisse dicitur, quam praedicant in fuga fratris sui membra in eis locis qua se parens persequeretur dissipavisse, ut eorum collectio dispersa maerorque patrius celeritatem consequendi retardaret.“ [4])

---

[1]) cf. J. Lebreton, Études e. q. s. p. 46 sq.: „Ces periphrases sont très fréquentes chez les poètes“. Vid. Verg. Aen. VII, 18: „Ursi ac formae magnorum luporum“. Lucr. VI, 1222 [ed. Brieg.]: „fida canum vis“.

[2]) Quem locum comparavit Beneke (Cic. d. imp. Cn. Pomp. Lips. 1834 p. 311) cum Phaedr. I 1, 4: „Tunc fauce improba latro incitatus iurgii causam intulit.“

[3]) Quint. inst. or. VIII 3, 74.

[4]) Dilucide apparet Ciceronem non immemorem fuisse veteris poetae horum versuum qui leguntur Cic. de nat. deor. III, 67:

„postquam pater
adpropinquat iamque paene ut comprehendatur parat,
puerum interea obtruncat membraque articulatim dividit
perque agros passim dispergit corpus; id ea gratia,
ut, dum nati dissipatos artus captaret parens,
ipsa interea effugeret, illum ut maeror tardaret sequi,
sibi salutem ut familiari pareret parricidio“.

41. „Omnes ... Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe missum sed de caelo delapsum intuentur.“ [1])

Maximi esse ponderis ad laudationem Pompeianae cognovimus amplificationem et gradationem, cuius proprium sit „*τὰ σμικρὰ μεγάλα καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιεῖν*,“ [2]) atque illam, quae „augendi minuendive causa“ adhibetur, „veritatis supralationem atque traiectionem,“ [3]) quae *ὑπερβολή* dici solet; quare vix mireris quod valde floret in Pompeiana haec forma dicendi, id quod docent cum exempla multa tum vel maxime §§ 28 et 29. Quin aliquoties eo usque processit superlationis Cicero ut mendacio veritatem contaminet; legimus enim:

25. „Sinite hoc loco, Quirites, sicut poetae solent qui res Romanas scribunt, praeterire me nostram calamitatem, quae tanta fuit ut eam ad auris imperatoris non ex proelio nuntius sed ex sermone rumor adferret.“ [4])

35. „Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pam-

Cf. etiam supra p. 97, adn. 3. — Mirum quidem et „incongruum videtur exemplum quod imperatori feminam comparavit“ (Schol. Gronov. ad hunc locum, ed. Th. Stangl p. 318), quod quidem ipsum certe delectabat, nam „quo quaeque (similitudo) longius petita est, hoc plus adfert novitatis atque inexspectata magis est“. Quint. inst. or. VIII 3, 74.

[1]) Translationem „delabi“ poetae ad deos de coelo descendentes referre solebant; cf. J. H. Schmalz, Cic. d. imp. Cn. Pomp. comm. 1909 p. 39. — Legimus Ov. met. I, 212: „summo delabor Olympo“ (Verba Jovis). Verg. VII, 620 „regina deum caelo delapsa“. Cf. ibid V, 722; V, 838; XI, 595.

[2]) cf. supra p. 39.

[3]) de or. III, 203.

[4]) Dicit hoc loco Cicero proelium contra Mithridatem ad Gaziura (anno 67) factum, in quo C. Triarius legatus etsi magnam accepit cladem, non omnes tamen Romani extincti sunt.

Hic vult dicere orator „ut poetae solent“ qui „ubi ad calamitatem veniunt populi Romani, praetereunt neque illam dicunt, ne videantur in calamitate exultare“ (Schol. Gron. ad Pomp. 25 ed. Stangl p. 319). Significare videtur Cicero Cn. Naevii bellum Punicum et Q. Ennii annales.

phyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit obsidesque imperavit." [1])

46. „Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt... Idem iste Mithridates nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque in Hispaniam misit?" [2])

Iam progrediar ad translationes Caecinianae, quas Pompeianae cedere non quidem numero sed natura tamen et indole facile elucet. Nam Pompeianae sermo poeticus maxime distat ab hoc sermone tenui, qui „utatur verbis quam usitatissimis, translationibus quam mollissimis".[3]) At illud indecorum merito reprehendit Cicero, „cum verbum aliquod altius transfertur idque in oratione humili ponitur quod idem in alia (i. e. in mediocri vel sublimi) deceret".[4]) Et quod postulat Cicero ut orator tenuis „in transferendis verecundus" [5]) sit, certe spectat tantummodo ad translationem indolem,[6]) non ad numerum, ut docent exempla; nam Cicero ipse quoque monet ut sermo tenuis sit „tralatione fortasse crebrior".[7]) Haudquaquam id miramur, quia „translatione frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum sed etiam rusticorum," [8]) atque ipso in sermone cotidiano, cui studet orator summissus, fre- De tr. Caecinianae.

[1]) Haec verba animum inclinant ut Pamphyliam ab insula Creta remotissimam fuisse credas, cum tamen, etsi a Roma valde remota, proxima esset illi insulae.

[2]) „in ultimas prope terras" elate dictum est pro „in Pamphyliam".

[3]) or. 85.

[4]) or. 82.

[5]) or. 81.

[6]) cf. Kroll or. p. 83.

[7]) or. 81.

[8]) or. 81.

quentissime versari translationes satis notum est.[1]) Huc accedit quod translationes saepe valde idoneae sunt quae adiuvent perspicuitatem, quam scimus praecipue petere sermonem tenuem: „Opportunus (tralationum) usus illustrat orationem"[2]) quare hoc genus in Caeciniana quoque saepius „docendi causa sumptum"[3]) legimus.

Sequantur autem primum exempla ea, quibus inest vulgaris quidam color:

13. „se intro dare."[4])

19. „videt nihil se ab A. Caecina posse abradere."[5])

27. „Aebutius Caecinae malum minaretur" (i. e. mortem minaretur).[6])

28. „Eum placidum mollemque reddidi."[7])

---

[1]) Quare recte iudicat H. Paul, Prinzipien der Sprachgeschichte, Halle 1909⁴, p. 94 sq.: „Die Metapher ist eben etwas, was mit Notwendigkeit aus der menschlichen Natur fließt und sich geltend macht nicht bloß in der Dichtersprache, sondern vor allem auch in der volkstümlichen Umgangssprache, die immer zur Anschaulichkeit und drastischer Charakterisierung neigt." Idem etsi satis superlate exponit O. Schroeder, Vom papiernen Stil, Lips. 1908⁷, p. 30: „Der papierne Mensch ahnt nicht, daß der Stallknecht und die Viehmagd in einem Jahre mehr Tropen und Redefiguren anwenden, als er in sämtlichen Literaturen der Welt je auffinden wird."

[2]) Quint. inst. or. VIII 6, 14; cf. etiam ibid. VIII 6, 19. — de or. III, 155.

[3]) Cic. or. 82.

[4]) Ut adverbium „intro" supra (p. 37) frequentissimum esse apud comicos cognovimus, ita „se intro dare" „ist hergenommen von dem häuslichen Leben der Alten" denotat R. Klotz, Cic. oratt., Lips. 1835—1839, vol. I p. 480.

[5]) cf. Ter. Phorm. 333: „aliis aliunde est periclum unde aliquid abradi potest". Quam tralationem legis praeterea Sen. ep. 88, 11; Plin. paneg. 37, et saepius apud scriptores posteriores; cf. Thes. l. l. I p. 128, 57 sq.; cf. etiam Dziatzko-Hauler, Ter. Phorm., Lips.⁴ 1913, p. 130.

[6]) cf. Plaut. Curc. 571: „Mihin malum minitare?"; cf. etiam R. Klotz, Cic. or. I p. XXI sq.

[7]) cf. Plaut. Curc. 726/27: „hisce ego, si tu me irritaveris, placidum te hodie reddam"; Ter. Adelph. 534: „quom feruit maxime, tam placidum quasi ovem reddo."

61. „in ista tam frigida tam ieiuna calumnia delitiscas“ [1]) et 66 „ego invenio in interdicto verbum unum ubi delitiscam“.[1])

65. „aucupia [2]) verborum et litterarum tendiculas [3]) in invidiam vocant.“

52. „sermo hercule familiaris et cotidianus non cohaerebit, si verba inter nos aucupabimur“ et 88 „verborum vim necessario similitudine rerum aucupamur“.[4])

Huc pertinere mihi videntur quae proverbiorum [5]) locum habent, translationes hae:

71. „quid agat, ... qua denique digitum proferat, non habet.“ [6])

---

[1]) Verbum „delitiscendi“ translate dictum legimus in Ciceronis orationibus praeterea Tull. 33; Balb. 5; sen. 3; cf. etiam Cic. ac. 2, 15; Quint. inst. 12, 10, 15 et 10, 5, 10; Sen. ep. 105, 2; id. contr. 1, 1, 12; Liv. 4, 42, 5; Val. Max. 1, 6, 13; Schol. Cic. Bob. p. 89, 13; Paul. Nol. ep. 3, 5; Colum. 12, 3, 7. — Vid. Laurand, l. c. p. 289.

[2]) cf. Arnob. nat. 3, 7: „quid aucupia verborum splendoremque sermonis peti ab hoc dicam?“ Similiter translatum legimus „aucupium“ Plaut. Asin. 215; Mil. 990; Ter. Eunuch. 247; Cic. or. 84; Colum. I praef. 9; Ambros. off. 2, 21, 111; id. psalm. CXVIII 8, 54; Schol. Stat. Theb. 1, 521; Ennod. opusc. 2 p. 310, 7; id. ep. 1, 7 p. 16, 2; ibid. 2, 4 p. 43, 3; ibid. 6, 16 p. 158, 6.

[3]) cf. Ambros. de fide 3, 5, 37: „verborum tendiculas aucupemur“; Hieron. adv. Helvid. 2: „dialecticorum tendiculae“; similiter legimus August. c. duas epp. Pelag. 4, 19; Vulg. prov. 1, 11.

[4]) Quam translationem etiam legimus Cic. de or. II, 256; Quint. inst. 11, 1, 50; Hieron. ep. 57, 7; Aug. psalm. 55, 10. Addo: Enn. trag. 281 [Thes. l. l. II p. 1239 praebet falso „218“]; Sen. Phoen. 361; Rufin. Adamant. 5, 28; Vict. Vit. Psalm. 55, 10. Praeterea legimus verbum „aucupandi“ translate dictum 65 ies fere idque praecipue erat gratiosum apud scriptores priscos et posteriores, ut docent exempla quae collegit Thes. l. l. vol. II p. 1239 sq.

[5]) Certe satis aliena sunt a grandiore sermone proverbia, quae una cum facetiis in ridiculi genere habet Cicero (cf. de or. II, 258) quod genus praecipue florere in sermone tenui supra cognovimus (cf. supra p. 31 sqq.). — Cf. etiam L. Laurand l. c. p. 232 sq.

[6]) Similiter legimus Cic. de fin. 3, 17, 57: „ne digitum quidem

82. „Aut tuo, quem ad modum dicitur, gladio aut nostro defensio tua conficiatur necesse est.“[1])

84. „peracutum hoc tibi videtur, hic est mucro defensionis tuae.“[2])

Frequentantur autem praecipue in hac oratione translationes ex sermone militum atque gladiatorum haustae, quod ipsum genus exuberare in sermone Romanorum atque maxime, ut fieri solet, plebeiorum, qui ex rebus militaribus et ludis circensibus summam capiebant delectationem,[3]) inter omnes constat.[4]) Quam ob rem non miramur permultas nos legere eas tralationes ut in ceteris orationibus iudicialibus ita in Caeciniana, ubi cum militibus vel gladiatoribus comparari possunt adversarii qui pugnant armis non quidem cor-

---

porrigendum esse“; Pers. 5, 119: „digitum exere“. — Cf. Otto, Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer, Lips. 1890, p. 115 sq.; Laurand l. c. p. 288.

[1]) cf. Ter. Ad. 958: „Suo sibi gladio hunc iugulo“; Lactant. inst. 3, 28, 20: „homines, qui suo sibi gladio pereunt“; Ambros. de off. 1, 4, 15: „Tolerabilius est alieno gladio quam nostro perire“; Publil. Syr. 66: „Bis interimitur, qui suis armis perit“. — Cf. Otto l. c. p. 154; Laurand l. c. p. 288.

[2]) cf. Hieron. ep. 117, 4: „Durus dolor est et meo mucrone me vulnerans“; adv. Ruf. 3, 25: „ut . . . suomet potissimum mucrone feriantur“; Mar. Mercat. lib. subnot. in verba Jul. 6, 1 (Migne 48 col. 135): „Bardissime, tuo de pugione feristi“. — Cf. Otto l. c. p. 231; Laurand l. c. p. 288.

[3]) cf. L. Friedländer, Darstellungen a. d. Sittengesch. Roms II p. 360 sq.

[4]) cf. O. Weise, Charakteristik d. lat. Sprache, Lips.[4] 1909, p. 136. — Translationes latinas ex sermone militum et gladiatorum haustas collegerunt D. Wollner, Die von der Beredsamkeit aus der Krieger- und Fechtersprache entlehnten bildlichen Wendungen in den rhetor. Schriften des Cicero, Quintilian und Tacitus, Landau 1886. J. Straub l. c. p. 59 sqq.; C. Meissner l. c. p. 23 sq.; M. Wiegand, de metaphorarum usu quodam Ciceroniano, Rost. 1910, p. 30 sqq.

poris sed ingenii. Quod ut cognoscas, velim legas hunc locum diffusum:

82 sq. „Aut tuo, quem ad modum dicitur, gladio aut nostro defensio tua conficiatur necesse est. Si ad interdicti sententiam confugis ..., neque aequitatem rei verbi laqueo capi putas oportere, in meis castris praesidiisque versaris;[1] mea, mea est ista defensio ... Sin hunc locum fugis et reformidas et me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas verborum angustias[2] et ad omnis litterarum angulos revocas, in eis ipsis intercludere insidiis quas mihi conaris opponere."

Ex eodem fonte manant translationes hae:

42. „vis, quae animum perterritum loco saepe et certo de statu demovet."[3]

59. „verbo quidem superabis me ipso iudice, re autem ne consistes quidem ullo iudice"[4] (cf. etiam 84 „verborum angustiae").

64. „ista sit angustior iniquiorque defensio."[5]

65. „Ceteri tum ad istam orationem decurrunt cum se in causa putant habere aequum et bonum quod defendant; si contra verbis et litteris ... contenditur solent ... opponere."[6]

---

[1]) cf. Cic. ad fam. IX 20, 1: „In Epicuri nos adversarii nostri castra coniecimus". ibid. XIII 19, 1: „Lyso fuerat in nostra causa nostrisque praesidiis". Sen. ep. II 4: „Hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nactus sum; soleo enim et in aliena castra transire non tamquam transfuga, sed tamquam explorator".

[2]) cf. Cic. Acad. II 35, 112: „Cum sit enim campus, in quo exsultare possit oratio, cur eam tantas in angustias et Stoicorum dumeta compellimus?"

[3]) cf. Krebs-Schmalz, Antib. I^7 p. 416.

[4]) cf. Kroll or. p. 39; Wollner l. c. p. 33 et 36.

[5]) cf. Jordan l. c. p. 243.

[6]) cf. Meissner l. c. p. 26; Wollner l. c. p. 32.

67. „causam non tenuisse.“ [1])

ibid. „quem ... commemoravi ... tamen probasse nemini quod defendebat, quia verbis oppugnare aequitatem videbatur.“

74. „si parum est communitum ius civile ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest.“ [2])

75. „haec iure civili saepta sunt.“ [3])

79. „defensionem causae constituere.“ [4])

81. „placet tibi nos pugnare verbis?“ [5])

Huc accedunt etiam similitudines de rebus militaribus ductae hae:

46. „quem ad modum in bello poena ignavis ab imperatoribus constituitur, sic in iudiciis deterior causa sit eorum qui fugerint quam qui ad extremum usque contenderint.“

61. „Non reperies quemquam iudicem aut recuperatorem qui, tamquam si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum.“

Quibus adiungo similitudines has:

27. „Sex. Clodius cui cognomen est Phormio, nec minus niger nec minus confidens quam ille Terentianus est Phormio.“

100. „cum homines ... vitant quae sunt legibus constituta, confugiunt quasi ad aram in exsilium.“

Servire autem Ciceroni hic quoque ornatus orationis ad explicandum et docendum ostendit praecipue exemplum fictum hoc:

---

[1]) Hoc translate esse dictum apparere videtur ex Liv. 39, 3, 3: „Cenomani ... magno certamine cum praetore habito tenuerunt causam.“

[2]) cf. Wollner l. c. p. 10.

[3]) cf. Wollner l. c. p. 22.

[4]) cf. Wollner l. c. p. 31.

[5]) cf. Wollner l. c. p. 33.

88. „Ut si qui ex alto cum ad patriam accessisset, tempestate subito reiectus optaret ut, cum a patria deiectus esset, eo restitueretur, hoc, opinor, optaret, ut a quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in salum, sed in ipsam urbem quam petebat, sic quoniam verborum vim necessario similitudine rerum aucupamur, qui postulat ut a quo loco deiectus est, hoc est unde deiectus est, eo restituatur, hoc postulat ut in eum ipsum locum restituatur."

A sermone iuris, quem multum valere in hac oratione cognovimus,[1]) petita est imago haec:[2])

81. „Tu me ad verbum vocas; non ante veniam quam recusaro. Nego oportere, nego obtineri posse, nego ullam rem esse, quae ... comprehendi satis ... possit ... Quoniam satis recusavi, venio iam quo vocas."[3])

Personificationis autem exempla minus audacter quam in Pompeiana conformata minusque accurate expressa legimus:

50. „voluntas et consilium et sententia interdicti intellegatur."

52. „verba servire hominum consiliis et auctoritatibus."

56. „ratio iuris interdictique vis et praetorum voluntas et hominum consilium et auctoritas respuit hanc defensionem et pro nihilo putat."

61. „ieiuna calumnia."

71. „ista quae dominatur in civitate potentia in hoc solo genere quiescit."

Praeterea dignae videntur quae commemorentur translationes hae:

---

[1]) cf. supra p. 15 sq.

[2]) Ut translationes ad res militares et gladiatorias pertinentes ita a iuris quoque sermone petitae ad vulgarem popularemque sensum accommodatae erant; cf. Weise l. c. p. 136.

[3]) cf. Jordan l. c. p. 267.

13. „Aebutius iste, qui iam diu Caesenniae *viduitate* ac *solitudine aleretur* ac se in eius *familiaritatem insinuasset*.“

17. „Caesennia ... Aebutio *sextulam aspergit*.“

ibid. „Iste hac sextula se *ansam* retinere omnium controversiarum putat.“

18. „*calumniam stultitiamque* eius *obtrivit ac contudit*.“

20. „*salvo capite*.“

24. „*periculo capitis*.“

35. „limine *tectoque* prohibuerint.“

36. „domo *tectisque* prohibito.“

51. „ad verba *rem deflectere*.“

64. „hic vero *haeream*.“

70. „*vincula revellit* non modo *iudiciorum* sed etiam *utilitatis vitaeque* communis.“

100. „Exsilium enim non supplicium est, sed perfugium *portusque supplici*.“

Atque quamvis sint alienae translationes Caecinianae a Pompeianae exemplis audacter saepe et insolenter formatis, tamen Cicero aliquoties Caecinianae translatis, cum nimis *gravia et insolentia ipsi esse videantur* in hoc sermone tenui, addit, quae *deminuant hanc gravitatem et insolentiam, elocutiones quasdam*,[1]) ut legimus:

65. „verbis et litteris et, *ut dici solet*, summo iure contenditur.“

82. „tuo, *quem ad modum* dicitur, gladio aut nostro defensio tua conficiatur.“

84. „ex hoc, *ut ita dicam*, campo aequitatis.“

Neque servit nisi *perspicuitati* formula „*hoc est*“ translationibus addita in exemplis his:

100. „solum vertunt, *hoc est* sedem ac locum mutant.“

---

[1]) Quas elocutiones mitigantes et commendavisse rhetores veteres

ibid. „in exsilium, hoc est in aliam civitatem receptus est."

Puto igitur harum omnium translationum naturam aliam esse in Pompeiana aliam in Caeciniana; quamquam in re tam intricata difficile est iudicare. Tamen qui penitus in sermonem utriusque orationis se insinuaverit spero eum mihi concessurum esse aequo cautius scripsisse L. Laurand: „La différence est moins sensible qu'on ne pourrait le croire."[1])

De tr. Rabirianae.

Ut a sermone Rabirianae sublimi abhorrent vulgares illae translationes, quas non paucas legimus in Caeciniana, ita aliena mihi esse videtur ab huius orationis acri et vehementi poetica illa dulcitudo et suavitas, quam propriam Pompeianae multarum translationum admirati sumus.

Atque primum velim aspicias allegoriae, cuius formae exempla in Ciceronis orationibus haud ita multa exstant,[2]) exemplum hoc:

25. „nec tuas umquam ratis ad eos scopulos appulisses ad quos Sex. Titi adflictam navem et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres."[3])

Atque personificationis, quae magni est ponderis in Rabiriana, exempla afferam primum insigniora haec:

8. „ad eius propulsandum periculum non modo homines sed prope regiones ipsae convenerint."

25. „causa ante mortua est quam tu natus esses."

29. „C. Marius ... omnia sua secum una moritura arbitrabatur."

---

et adhibuisse praecipue Ciceronem notum est. Cf. de or. III, 165; Auct. π. ύ. XXXII, 3 [p. 56, 13—57, 3 ed. J.-V.]; cf. etiam Krebs-Schmalz, Antib.[7] I p. 22 sq.; C. G. Zumpt, Lat. Gramm.[13] § 705.

[1]) l. c. p. 297.

[2]) cf. Straub, De tropis et figuris quae inveniuntur in orationibus Ciceronis et Demosthenis, Wirceb. 1883, p. 71 sq.

[3]) cf. Sull. 41; cf. etiam de or. III, 163.

Quibus exemplis addo:

8. „nomen ac termini postulabant."

9. „crimina . . . patroni diligentiam desiderant."

ibid. „illa pars de nece Saturnini ... non oratoris ingenium sed consulis auxilium implorat et flagitat."

12. „lex libertatem civium lictori eripuit."

13. „verborum crudelitas."

15. „quem ... leges ... urbis domicilio carere voluerunt."

22. „ager Picenus universus utrum tribunicium furorem, an consularem auctoritatem consecutus est?"

30. „exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit."

Praeterea dignae mihi esse videntur Rabirianae translationes quas afferam:

6. „temporis angustiis."

10. „libertatem ... munitam esse."

11. „funestari contionem contagione carnificis."

ibid. „expiandum forum . . . ab illis nefarii sceleris vestigiis esse."

ibid. „castam contionem, sanctum campum, inviolatum corpus."

13. „verba ... non solum tenebris vetustatis verum etiam luce libertatis oppressa sunt."[1]

15. „caelo ac spiritu carere."

16. „nomen crucis absit . . . a cogitatione, o|culis, auribus."

23. „domestica volnera."

II. De figuris. Quoniam satis versatus esse mihi videor in ratione translate dicendi, iam — quod extremum mihi proposui — de figuris agere incipiamus, quae intellegit Cicero „et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant

---

[1]) cf. Verr. V, 160.

Graeci σχήματα, quibus tamquam insignibus in ornatu distinguitur omnis oratio".[1]) Quae ornamenta praecipue spectare ad delectationem nos docet Quint. inst. or. IX, 3, 102: „Maior enim pars figurarum posita est in delectatione." Quare genus dicendi medium abundare ut luminibus illis splendidissimis, quae prehenduntur voce concinnitatis,[2]) ita aliis quoque figuris haud mirum est. Atque ipse Cicero „in idem — inquit — genus orationis (sc. medium) verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum".

Ac primum quidem disputare mihi in animo est de duorum vocabulorum idem fere significantium coacervatione illa quam synonymiam[3]) dicere solemus. Cuius figurae exemplis praecipue Isocratis λόγον ἐπιδεικτικόν redundare scimus,[4]) quod non mirum est, cum et praecipue idonea sint ad amplificandum et ad efficiendam sermonis copiam ac granditatem[5]) et plurimum prosint ad sententiarum numerosas conclusiones.[6]) Qua figura ex scriptoribus Romanis et libenter et eleganter praecipue usus est Cicero,[7]) maxime autem, ut videtur, in genere dicendi medio. Ut enim in hoc sermone ex redundantia verborum illa, quae efficit figuram disiunctionis, Ciceronem summam capere voluptatem supra cognovimus, ita figurae illius simili synonymiae plus concedi in **Pompeiana** quam in alteris duabus orationibus ratio nos docet, cum singulae paginae praebeant **De synonymis.**

---

[1]) cf. Brut. 275. Saepius voces „σχημάτων" et „lumium" Cicero usurpavit pro „figuris"; cf. M. Wiegandt, De metaphorarum usu quodam Ciceroniano, Rost. 1910, p. 12 sqq.

[2]) cf. supra p. 58 sqq.

[3]) Synonyma hic intellego non solum vocabulorum coniunctiones ut „deposci atque expeti" vel „opimus ac fertilis", sed etiam tales quales „legatos ac litteras" vel „vi et armis".

[4]) cf. Blass l. c. II^2 p. 137.

[5]) cf. Blass l. c. II^2 p. 137.

[6]) cf. Seyffert-Mueller, Lael.[2] p. 492; Seyffert, Pal. Cic. p. 40, 14.

[7]) cf. Norden, A. K. p. 167.

Pompeianae 3 fere exempla, contra **Caecinianae** tantummodo 2 fere.

Atque scias in **Rabiriana** ut figuram disiunctionis ita synonymiae quoque rarius esse adhibitam quam in Pompeiana, saepius autem scilicet quam in Caeciniana, cum legamus in Rabirianae singulis paginis 2,6 fere exempla.

Ut autem exemplis quoque cognoscas hanc verborum redundantiam Ciceronianam maxime in Pompeiana conspicuam, legas velim, quae cumulata praebet huius figurae exempla, laudationem Luculli (20/21), ex qua afferam:

21. „... Ab eodem imperatore classem magnam et ornatam quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio atque odio inflammata raperetur superatam esse atque depressam; magnas hostium praeterea copias multis proeliis esse deletas patefactumque nostris legionibus esse Pontum qui antea populo Romano ex omni aditu clausus fuisset; Sinopen atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis omnibus rebus ornata ac referta, ceterasque urbis Ponti et Cappadociae permultas uno aditu adventuque esse captas; regem spoliatum regno patrio atque avito ad alias se reges atque ad alias gentes supplicem contulisse ..."

De particula conexiva „atque (ac)".

Atque nobis quaerentibus, quo modo in his orationibus vocabula synonyma coniungi soleant, saepissime occurrit ipsa in Pompeiana particula conexiva „atque (ac)", quam maxime sermonis grandioris Ciceroniani esse recte cognovit Schmalz;[1]) sunt enim hac particula coniuncta synonymiae exemplorum in Pompeiana 60 %, in Rabiriana 52 %, contra in Caeciniana tantummodo 34 %.

De alliteratione.

Neque minus exornat cum omnes Ciceronis orationes tum praecipue Pompeianam ea festivitas quae alliteratio[2])

---

[1]) Lat. Gramm.[4] p. 677: „Zunächst trat dann die Verbindung mit „atque" ein, an welcher auch Cicero in feierlicher Rede festhält."

[2]) ad quam assonantiam quoque adnumerare mihi liceat.

a recentioribus[1]) dici solet, quam antiquissimum sermonis ipsius Latini artificium esse viri doctissimi nos docuerunt.[2]) Quae figura nimirum praecipue est efficax in membris vel verbis iuxta compositis et congruentibus,[3]) quare ipsa in **Pompeiana,** ubi illam sermonis naturam maxime eminere iam scimus, huius rationis legi permulta et splendida exempla haud miraberis, qualia haec:

9. „Mithridates . . . usque in Hispaniam **l**egatos ac **l**itteras misit ad eos duces quibuscum tum bellum gerebamus, ut, cum duobus in locis **di**siunctissimis maximeque **di**versis uno **co**nsilio a binis hostium **co**piis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti **co**ntentione **di**stricti de imperio **di**micaretis."

48. „Itaque non sum praedicaturus quantas ille res domi **m**ilitiae terra **m**arique quantaque felicitate gesserit, ut eius semper voluntatibus non modo cives adsenserint, socii **ob**temperarint, hostes **ob**oedierint, sed etiam venti tempestatesque **ob**secundarint; hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui ab dis immortalibus **t**ot et **t**antas res **t**acitus auderet optare **qu**ot et **qu**antas di immortales ad Cn. Pompeiun detulerunt. Quod . . . illi **p**ropriun ac **p**erpetuum sit . . ."

Ab hac magis artificiosa ratione alliterandi ad vocabula iuxta composita vel congruentia pertinente distinguenda est altera forma qua voces illo artificio coniunctae lege grammatica altera ex altera pendent. Item huius formae exemplis Pompeiana uberrima est ut legimus:

67. „Ecquam **p**utatis civitatem **p**acatam fuisse quae locuples sit, ecquam esse locupletem quae istis **p**acata esse

---

[1]) cf. Norden, A. K. p. 59, 1.

[2]) cf. F. Leo, Geschichte der röm. Lit. 1913 p. 38 sq.; Norden, A. K. p. 59.

[3]) cf. Schmalz, Lat. Gramm.[4] p. 677; F. Hoppe, Zu den Fragmenten u. d. Sprache Ciceros, Gumb. 1875, p. 8 sq.; F. Blaß, ind. ad Demosth. or. Phil., Lips. 1886, p. 5.

videatur... Videbat enim **p**raetores locupletari quotannis **p**ecunia **p**ublica **p**raeter **p**aucos..."

22. „**P**rimum ex suo regno sic Mithridates **p**rofugit ut ex eodem **P**onto Medea illa quondam fugisse dicitur, quam **p**raedicant in **f**uga **f**ratris sui membra in eis locis qua se **p**arens **p**ersequeretur dissipavisse, ut eorum conlectio dispersa maerorque **p**atrius **c**eleritatem **c**onsequendi retardaret." Cf. praeterea 4, 12, 19, 22, 32, 33, 36, 40, 47, 48, 51, 54, 67.

Cum igitur utramque alliterationis formam plurimum valere in Pompeiana satis appareat, contra in **Caeciniana,** ubi minorem esse vim in verborum compositione congruentiaque cognovimus, forma illa prior ad sermonem congruentem praecipue pertinens r a r i u s nobis occurrit; neque ad formam a l t e r a m l i b e r i o r e m — ut ita dicam — Cicero in Caecinianae sermone tenui tantopere inclinavisse ut in Pompeiana haud difficile est cognitu; quamquam caveas ne sterilem esse Caecinianam huius alliterationis formae exemplis credas! Legas enim:

18. „Iam principio ausus est dicere non posse heredem esse **C**aesenniae **C**aecinam, quod is deteriore iure esset quam **c**eteri **c**ives propter in**c**ommodum Volaterranorum **c**alamitatemque **c**ivilem."

66. „Fateor hoc interdicto praetoris **v**indicari, si **v**oluntas et aequitas **v**aleat; sed ego in**v**enio in interdicto **v**erbum unum ubi delitiscam: non deieci te ex eo loco quem in locum prohibui ne **v**enires..."

Praeterea conferas 11, 18, 48, 58, 59, 67, 69, 81, 84, 92, 97.

Atque hoc pro certo affirmare licet a l l i t e r a t i o n e m Ciceroni fuisse g r a v i s s i m u m a r t i f i c i u m s e r m o n i s i p s i u s g r a n d i o r i s, quod satis docuit sermo ille Pompeianae grandis, quem Cicero mediocrem dicere solet, probat autem praecipue sermo sublimis orationis **Rabirianae,** cuius quaevis fere paragraphus praebet exempla splendidissima, ut haec:

11. „Quam ob rem uter nostrum tandem, Labiene, popularis est, tune qui civibus Romanis in contione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere, qui in campo Martio comitiis Centuriatis auspicato in loco crucem ad civium supplicium defigi et constitui iubes, an ego qui funestari contionem contagione carnificis veto, qui expiandum forum populi Romani ab illis nefarii sceleris vestigiis esse dico, qui castam contionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Romanorum, integrum ius libertatis defendo servari oportere?“

Inspicias praeterea praecipue §§ 6, 8, 10, 12, 13, 15, 16, 19, 30.

Atque maximi ponderis est ad structuram illa verborum transgressio quae hyperbaton dici solet, quam non immerito inter virtutes et decora orationis omnes veteres rhetores semper habuerunt.[1]) Quare non miramur ipsa in Pompeiana saepissime nos incidere in illam figuram, quippe quae imprimis adiuvet numerum orationis[2]) atque „multum prosit ad continuationes“,[3]) quibus abundare Pompeianam iam scimus; in iis autem continuationibus „oportet verba sicuti ad poeticum quendam exstruere numerum, ut perfecte et perpolitissime possint esse absolutae“.[4]) Atque praevalet in hac oratione illa transgressionis forma, qua substantivum et attributum (adiect. vel. pron.) interpositis vocabulis separantur. Quam quidem formam transgressionis de industria Ciceronem adhibuisse liquet,[5]) sed cum in **Pompeianae** singulis paginis haec exempla 4, 3^{ies} legamus, Caecinianae singulae paginae praebent tantummodo 2 exempla. De hyperbato.

---

[1]) cf. Quint. inst. or. VIII 6, 62; cf. etiam Norden, A. K. p. 66.

[2]) cf. Norden, A. K. p. 66; Gerber, Die Sprache als Kunst, Berol.^{2} I 552.

[3]) auct. ad Her. IV 32, 44.

[4]) ibid.

[5]) cf. Norden, A. K. p. 179.

Neque solum crebrius nobis occurrere sed etiam multo audacius exstructa esse huius figurae exempla in **Pompeiana** quam in Caeciniana facile cognosces[1]):

Interposita sunt 13 vocabula:

47. „Fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem et ad gloriam et ad res magnas bene gerendas divinitus adiuncta fortuna.“

Interposita sunt 9 vocabula:

33. Pro di immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem adferre rei publicae potuit . . .?“

Interposita sunt 8 vocabula:

38. „Utrum pluris arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbis an hibernis sociorum civitates esse deletas?“

Interposita sunt 7 vocabula:

32. „quam multas aut metu relictas aut a praedonibus captas urbis esse sociorum?“

46. „Age vero illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostis populi Romani auctoritatem . . .!“

Interposita sunt 6 vocabula:

62. „Tanta in eo rei publicae bene gerendae spes constituebatur . . .“

Interposita sunt 5 vocabula:

63. „Qua re videant ne sit periniquun . . . vestrum ab illis de eodem homine iudicium . . . improbari.“

Interposita sunt 4 vocabula:

8. „Ita nostri cum illo rege contenderunt imperatores, ut . . . victoriam reportarent.“

25. „non fuit eo contentus . . . ut illam postea quam pulsus erat terram umquam attingeret.“

---

[1]) Non afferam exempla nisi ea quae praebent hyperbati figuram tribus vel pluribus vocabulis interpositis effectam. Legimus autem praeterea hyperbaton uno vel duobus vocabulis interpositis in hac oratione 75ies.

33. „nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiatis.“

36. „quanta deinde in omnibus rebus temperantia!“

52. „ex hoc ipso loco permulta item contra eam legem verba fecisti.“

Interposita sunt tria vocabula:

22. „Requiretur fortasse nunc quem ad modum . . . reliquum possit magnum esse bellum.“

31. „Quis enim toto mari locus tam firmum habuit praesidium?“

Quibus opponam **Caecinianae** exempla haec perpauca et simpliciora:[1])

Interposita sunt 4 vocabula:

52. „uni cuique vestrum aliud alii in omni genere exemplum occurrit.“

71. „ista quae dominatur in civitate potentia in hoc solo genere quiescit.“

75. „Quapropter non minus diligenter ea quae a maioribus accepistis, publica patrimonia . . . retinere debetis.“

Interposita sunt 3 vocabula:

30. „omnes ante eum dixissent testes armatos cum Aebutio fuisse complures.“

32. „hanc puto me habere actionem.“

64. „perspicere quanto ista sit angustior iniquiorque defensio.“

79. „permagnam initis a nobis gratiam.“

101. „hanc in hac causa defensionem.“

Rabiriana autem oratio huius figurae exemplorum numero medium habet locum inter duas orationes alteras, cum 3,1 exempla praebeant singulae paginae.

---

[1]) Praeterea leges hanc figuram uno vel duobus interpositis vocabulis effectam 55ies.

Naturam autem earum simpliciorem quam in Pompeiana conspicuam docebunt exempla haec[1]):

Interposita sunt 4 vocabula:

20. „etiam ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus."

28. „quod tandem excogitabitur in eum supplicium qui vocavit?"

Interposita sunt 3 vocabula:

10. „expulsis regibus nullum in libero populo vestigium retinuerunt."

19. „Quid est Labiene? quam a me graviorem confessionem aut quod in hunc maius crimen exspectas?"

24. „Atqui videmus haec in rerum natura tria fuisse."

ibid. „Statuerunt equites Romani ... improbum civem esse ... qui hominis hostilem in modum seditiosi imagine aut mortem eius honestaret ... aut suam significaret imitandae improbitatis voluntatem."

De chiasmo. Etsi Ciceronem cum **Pompeianae** sermone aequabiliter fluente et concinne exstructo parallelismum quendam verborum et membrorum facile coniungere exempla in huius commentationis altera parte (cf. praecipue p. 60 sq.) allata satis demonstrant, tamen orator, ut evitet sententias similes semperque eodem modo et ordine conformatas, quae legentes summopere fatigent, variandi[2]) causa adhibet figuram chiasmi, quam maximam habere vim in sententiis vel comparativis vel contrariis constat.[3]) Atque ipsa in hac oratione ubi contentionem ingeniose excogitatam invenimus vestitam et exornatam sermone artificiose descripto, permulta admiramur huius figurae exempla non oratoris negle-

---

[1]) Praeterea leges hanc figuram uno vel duobus vocabulis interpositis effectam 23ies.

[2]) cf. Reisig-Haase l. c. p. 859.

[3]) cf. Schmalz, Lat. Gramm. p. 642; Seyffert-Mueller, Lael. p. 162; Seyffert, Schol. Lat. I³ p. 132.

gentia effecta sed arte rhetorica quaesita, ex quorum numero afferre mihi liceat praecipue insignia haec:

10. „initia[1] illa[2] . . . non felicitati[3] sed virtuti[4] — haec[2] autem extrema[1] non culpae[4] sed fortunae[3] tribuenda esse videantur.“

13. „hunc[1] audiebant[2] antea[3] — nunc[3] praesentem[1] vident.[2]“

33. „vos qui modo ante ostium[1] Tiberinum[2] classem[3] hostium[4] videbatis — ei nunc nullam intra Oceani[2] ostium[1] praedonum[4] navem[3] esse audiatis.“

48. „hoc dicam, neminem umquam . . . fuisse, qui[1] ab dis immortalibus[2] tot et tantos res[3] auderet optare — quot et quantas[3] di immortales[2] ad Cn. Pompeium[1] detulerunt.“

60. „in ipso Cn. Pompeio in quo novi[1] constitui[2] nihil[3] volt[4] Q. Catulus[5] — quam multa[3] sint nova[1] summa Q. Catuli[5] voluntate[4] constituta[2] recordamini.“

63. „illorum[1 (a)] auctoritatem de Cn. Pompei dignitate[2] a vobis[3 (b)] comprobatam esse — vestrum[1 (b)] ab illis[3 (a)] de eodem homine[2] iudicium populique Romani auctoritatem improbari.

Neque minus artificiose est adhibita chiasmi forma cum parallelismo coniuncta, ut imprimis docet exemplum diffusum illud tam insigne (Pomp. 11), quod attuli supra p. 64. Praeterea autem legas:

26. „perspicite quantum illud bellum factum putetis quod coniungant[1] reges[2] potentissimi[3], renovent[1] agitatae[3]

$\overset{2}{\overline{\text{nationes,}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{suscipiant}}}$ $\overset{3}{\overline{\text{integrae}}}$ $\overset{2}{\overline{\text{gentes,}}}$ $\overset{3}{\overline{\text{novus}}}$ $\overset{2}{\overline{\text{imperator}}}$ noster $\overset{1}{\overline{\text{accipiat}}}$ vetere exercitu pulso.“

66. „$\overset{1}{\overline{\text{norunt}}}$ enim sociorum $\overset{2}{\overline{\text{volnera,}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{vident}}}$ eorum $\overset{2}{\overline{\text{calamitates,}}}$ $\overset{2}{\overline{\text{querimonias}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{audiunt.}}}$“

Artificiosissime igitur hanc quoque figuram adhibitam invenimus in *Pompeiana*, cum non raro *terna vel plura vocabulorum paria* ex diverso collocata eleganterque disposita sint. Multum autem *cedunt* Pompeianae orationi *exempla* **Caecinianae** et numero et praecipue natura, cum multo *simplicius exstructa sint* neque tam longe producta. Exemplum autem maxime insigne afferam hoc:

14. „Quam personam iam ex cotidiana vita cognostis, recuperatores, $\overset{1}{\overline{\text{mulierum}}}$ $\overset{2}{\overline{\text{adsentatoris,}}}$ $\overset{2}{\overline{\text{cognitoris}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{viduarum,}}}$ defensoris nimium litigiosi, contriti ad regiam, $\overset{2}{\overline{\text{inepti ac stulti}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{inter viros,}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{inter mulieres}}}$ $\overset{2}{\overline{\text{periti iuris et callidi,}}}$ hanc personam imponite Aebutio.

Alia autem exempla talia fere sunt qualia haec:

23. „Etenim non minus nos $\overset{1}{\overline{\text{stultitia}}}$ illius $\overset{2}{\overline{\text{sublevat,}}}$ quam $\overset{2}{\overline{\text{laedit}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{improbitas.}}}$“

vel 32 „$\overset{1}{\overline{\text{meum}}}$ $\overset{2}{\overline{\text{ius}}}$ teneam atque $\overset{2}{\overline{\text{iniuriam}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{tuam}}}$ persequar.“

quare plura huius orationis exempla afferre puto non expedire, praesertim cum non sit dubium quin non pauca chiasmi exempla quae in sermone satis vulgari aliquotiesque neglegentius exstructo exstant, casu orta sint.

Ut igitur chiasmi figuram rhetorice adhibitam satis alienam a sermone tenui,[1]) gratiosam autem in sermone

[1]) quam ob rem abest a sermone epistularum *neglegentius conscriptarum* Ciceronis illa figura; cf. Schmalz, Lat. Gramm.^{4} p. 643.

grandiore cognovimus, ita sermonem **Rabirianae** quoque, etsi minus delicate quam genus illud medium, efficacissime tamen hoc adhibere ornamentum nos docent exempla, cum minus vocabula quam ipsa enuntiata ex diverso collocare studere Ciceronem videamus, ut demonstrat sententiarum series et eleganter et efficaciter disposita haec:

24. „Atqui videmus haec in rerum natura tria fuisse, ut

1
aut cum Saturnino esset,
2
aut cum bonis,
3
aut lateret.
3
Latere mortis erat instar turpissimae,
1
a b
cum Saturnino esse furoris et sceleris;
2
b a
virtus et honestas et pudor cum consulibus esse cogebat.“

Neque minor est vis sermonis quae inest narrationis enuntiatis ex diverso collocatis his:

1 2 . . .
20. Adhibent omnis tribunos pl. praeter Saturninum,
. . . 2 2 . . .
praetores praeter Glauciam; qui rem publicam salvam esse
. . . 2 1
vellent, arma capere et se sequi iubent.
1 2
Parent omnes;
2 . . .
ex aede Sancus armamentariisque publicis arma populo
. . . 2 1
Romano C. Mario consule distribuente dantur.“

Praeterea proponas tibi velim exemplum chiasmi cum parallelismo coniuncti maxime artificiosum hoc:

1
27. „L. Flaccum, hominem cum semper in re publica, tum
a b
in magistratibus gerendis ... diligentissimum, nefarii sceleris

ac $\overset{c}{\overline{\text{parricidii}}}$ mortuum $\overset{2}{\overline{\text{condemnabimus?}}}$ $\overset{2}{\overline{\text{Adiungemus}}}$ ad hanc labem ignominiamque mortis etiam $\overset{1}{\overline{\text{C. Mari nomen?}}}$ $\overset{1}{\overline{\text{C. Marium,}}}$ quem vere patrem patriae ... possumus dicere, $\overset{b}{\overline{\text{sceleris}}}$ ac $\overset{c}{\overline{\text{parricidii}}}$ $\overset{a}{\overline{\text{nefarii}}}$ mortuum $\overset{2}{\overline{\text{condemnabimus?}}}$"

De anaphora. Nunc transeamus ad illam „eiusdem verbi crebram a primo repetitionem",[1]) quae anaphora dici solet, quam figuram Demetrius effectricem re vera δεινότητος suo quidem iure significat.[2]) Quare quemadmodum Demosthenem hac figura multo saepius usum esse quam superiores oratores Atticos F. Blass exposuit,[3]) ita sermonem vehementem **Rabirianae** quoque maxime in deliciis habere hoc ornamentum ratio nos docet. Sciat enim qui numeris delectatur, praebere singulas paginas Rabirianae 8, Pompeianae autem 5, 4, contra Caecinianae tantummodo 3,3 membra vel incisa per anaphoram coniuncta. Atque profecto maxime idoneas esse facile concedes ad animos audientium permovendos has „verborum iterationes, quae contentionem aliquam et clamorem requirunt",[4]) ex quarum numero in Rabiriana praecipue dignum puto quem afferam complexum illum longissime patentem §§ 20/21 iam supra allatum (p. 84 sq.), in quo membris magis magisque decrescentibus particula „cum" 13^{ies} iteratur, quae cumulatio rarissime [5]) legitur apud Ciceronem.

Atque quod J. Straub „statui posse existimat, plerumque in anaphora orationem caesim procedere, saepe per

---

[1]) de or. III, 206.

[2]) π. ἑρμ. 268.

[3]) cf. Blass, Die att. Beredsamkeit² III, 1 p. 166 sq.

[4]) or. 85. — Cf. etiam Aquil. Rom. 34 [p. 32 ed. Halm]: „Hac figura frequentissime et Demosthenes et Cicero et omnes vehementes oratores utuntur, quando praecipue et ipsi commoti videri volunt et iudicem commovere."

[5]) cf. J. Straub l. c. p. 111.

membra, rarissime per ambitus",[1]) id haud difficile est intellectu, cum anaphorae incisim constructae praecipue idoneae sint quae acrem et violentum reddant sermonem, quod idem Hermogenes cognovit dicens „καλλωπίζουσι αἱ κατὰ κῶλον ἐπαναφοραί" [2]) et „αἱ κατὰ κόμμα ... γοργὸν ποιοῦσι τὸν λόγον." [3])

Ipsam autem anaphoram incisim constructam in Rabiriana plus valere quam in duabus alteris orationibus ostendunt nobis exempla, ex quibus afferre liceat:

13. „Tu mihi etiam legis Porciae,
tu C. Gracchi,
tu horum libertatis,
tu cuiusquam denique hominis popularis mentionem facis ...?"

14. „An pietas tua maior quam C. Gracchi
an animus,
an consilium,
an opes,
an auctoritas,
an eloquentia?"

16. „Misera est ignominia iudiciorum publicorum,
misera multatio bonorum,
miserum exsilium."

28. „Adeone hospes es huiusce urbis,
adeone ignarus disciplinae consuetudinisque nostrae
ut haec nescias,
ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare?"

Ut vero anaphora „gravitatis et acrimoniae plurimum", ita „multum venustatis habet".[4]) Itaque

[1]) l. c. p. 112.
[2]) cap. 284 [p. 302, 9 sq. ed. Rabe].
[3]) cap. 285 [p. 301, 1 sq.]. — Cf. etiam G. Gerber l. c. II p. 186.
[4]) auct. ad Her. IV 13, 19.

Pompeiana quoque, cuius sermonem maxime venustum supra cognovimus, multa praebet huius ornamenti exempla, quae quidem magis accommodata sunt mediocri sermoni aequabili et sedate fluenti, cum persaepe admiremur — quo ipso sermonem facile formosum et venustum fieri Hermogenes putat — sententias et membra ampla et tranquillius fluentia sibique magis constantia, quod praecipue liquet ex verborum continuatione eleganter et numerose disposita dulcissimeque sonante hac:[1])

30. „Testis est Italia quam ille ipse victor L. Sulla huius virtute et subsidio confessus est liberatam;
testis Sicilia quam multis undique cinctam periculis non terrore belli sed consili celeritate explicavit;
testis Africa quae magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit;
testis Gallia per quam legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum internicione patefactum est;
testis Hispania, quae saepissime plurimos hostis ab hoc superatos prostratosque conspexit;
testis iterum et saepius Italia quae, cum servili bello taetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit . . .“

Nec neglegenda sunt haec exempla Pompeianae, quae brevissime affero:

6. agitur + 19 vocabula
agitur + 14 „
aguntur + 15 „
aguntur + 14 „

41. nunc + 17 vocabula
nunc + 19 „
nunc + 8 „
nunc + 19 „

[1]) cf. etiam Th. Zielinski, Philol. Suppl. XIII, 1 (1914) p. 235.

54. non + 9 vocabula
non + 8 „
non + 10 „
60. non dicam + 21 vocabula
non dicam + 27 „
non commemorabo + 27 vocabula.

Insigne denique est exemplum longe patens et ingeniose compositum:

61/62. „Quid tam novum, quam ...
Quid tam praeter consuetudinem, quam ...
Quid tam inauditum quam ...
Quid tam inusitatum quam ...
Quid tam singulare quam ...
Quid tam incredibile quam ...“

Exemplis cum Pompeianae tum Rabirianae multo cedere **Caecinianam** iam supra vidimus;[1]) quamquam aliquoties hanc figuram splendide adhibitam esse certe negari nequit, ut 51, 63, 66, 81.

De geminatione.

Atque cum anaphoram ut repetitionis figuram magis artificiosam[2]) praecipue sermonis grandioris propriam esse cognoverimus, alia repetitionis forma, quam geminationem simplicem H. Wernicke dicit,[3]) magis accommodatam esse ad sermonem vulgarem docuit idem Wernicke dicens: „necesse videtur ratiocinari aliquid vulgare ei (sc. geminationi simplici) inhaerere, quod cum grandi sono non consentiat.“ [4])

Quare haud miramur et a Rabirianae et a Pompeianae sermone elegantiore satis alienam esse hanc figuram, quam

[1]) p. 122.

[2]) Woelfflin, Die Gemination im Lateinischen, S.-Ber. d. bayer. Acad. 1882 p. 427: „Beide Figuren gehen auch ... dadurch ... auseinander, ... daß letztere (i. e. anaphora) immer das Gepräge der Kunst trägt“.

[3]) De geminationis figurae in orationibus Latinis usu. Diss. Rost. 1912, p. 19 sqq.

[4]) l. c. p. 22.

frustra in **Rabiriana** quaeres, in **Pompeiana** autem semel tantum legimus:

Pomp. 32. „Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani longe a domo bellare ...“

Contra in **Caeciniana**, quam abundare proprietatibus sermonis cotidiani scimus, quater hanc figuram adhibitam invenimus [1]):

Caec. 14 „ille, ille quem supra deformavi, voluntarius amicus mulieris ...“

24. „ferro, inquit, ferro ... te reieci atque proterrui.“

36. „et C. Pisoni domo tectisque suis prohibito, prohibito inquam, per homines coactos et armatos, praetor quem ad modum more et exemplo opitulari possit, non habebit?“

83. „mea, mea est ista defensio, ego hoc vociferor.“

De interrogatione rhetorica.

Denique de interrogatione rhetorica et de praeteritione verba faciam; nam ut anaphora ex figuris verborum, ita ex sententiarum interrogatio rhetorica plurimum valere videtur in genere dicendi sublimi, quandoquidem maxime excitat sermonem **Rabirianae,** quae vis dilucide apparet ex eo quod huius orationis omnium vocabulorum fere 42 % continentur interrogationibus, contra Pompeianae 22,6 % et Caecinianae 20,6 %.

Siquidem in universum hic modus acrius affirmandi vel vehementius invehendi [2]) sermoni facile tribuit summam vim, quin praecipue eius in Rabiriana frequentatio sit idonea quae maxime intentos et sollicitos habeat sensus vix dubium est, praesertim cum aliquoties longe pateant interrogationes, ut docent egregie quae insunt §§ 20 et 21 (cf. etiam supra p. 84 sq.) interrogationes duae illae, quibus orator una fere continuatione 268 vocabula proicit?

---

[1]) cf. Wernicke l. c. p. 23 sq.

[2]) cf. Seyffert, Schol. Lat. I³ p. 95.

Itaque Demostheni quoque, quem saepissime libentissimeque adhibuisse hanc rationem emphatice dicendi constat,[1]) ipsa in oratione de corona habita maxime fervida haec figura summopere frequentata gravissimum erat artificium ad *δεινότητα* efficiendam.[2])

Neque carere potest Cicero hoc efficaci ornamento in **Caeciniana**, in qua adversarios quasi dialogo pugnare atque invehi alterum in alterum cognovimus. Quamquam multo breviores fere sunt in hac oratione interrogationes, quarum 50 % praebent tantummodo 10 verba vel minus, contra in Rabiriana 23 % et in Pompeiana 16 %. Huc accedit quod saepius colorem habent vulgarem Caecinianae exempla ut docuerunt supra (p. 36 sq.) allata.

Imprimis autem propriam invenimus Caecinianae interrogationis formam illam, quam Cicero interpretatur „percontationem expositionemque sententiae suae",[3]) cum orator „rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondet".[4]) Atque maxime accommodatam esse percontationem huius orationis, quae docere vult, sermoni naturali et simplici apparet;[5]) sequantur autem exempla praecipue insignia:

24. „Quid? testes quid aiunt? P. Vetilius, propinquus Aebuti, se Aebutio cum armatis servis venisse advocatum. Quid praeterea? Fuisse compluris armatos. Quid aliud? Minatum esse Aebutium Caecinae."

44. „Quid igitur fugiebant? Propter metum. Quid metuebant? Vim videlicet."

---

[1]) cf. F. Blass, ind. ad Dem. or. Phil., Lips. 1886, p. 18.

[2]) cf. R. Volkmann, Rhet. d. Griech. u. Röm., Lips. 1885², p. 491.

[3]) de or. III, 203.

[4]) or. 137. — Fusius disserit de hac figura Seyffert, Schol. Lat. p. 96 sqq. Caveas ne percontatione confundas subiectionem, de qua disserit Seyffert l. c. p. 108 sqq.

[5]) cf. Seyffert, Schol. Lat. p. 96: „Man erkennt augenblicklich, daß diese Form dem wirklichen Gespräche nachgebildet ist, nur daß der Redner hier beide Personen, die des Fragenden und Antwortenden, in sich vereinigt."

53. „Quid? verbis hoc satis erat cautum? Minime. Quae res igitur valuit? Voluntas, quae si tacitis nobis intellegi posset, verbis omnino non uteremur."

87. „Unde deiectus est Cinna? Ex urbe. Unde Telesinus? Ab urbe. Unde deiecti Galli? A Capitolio. Unde qui cum Graccho fuerunt? Ex capitolio."

Praeterea legas §§ 14, 41, 49, 60, 79, 80, 89, 98.

Quam formam interrogationis iuvenimus non in Rabiriana, semel in Pompeiana.[1])

Sane in **Pompeiana** quoque multum valere cognovimus interrogationes, quarum quidem natura alia plerumque est atque Caecinianae et Rabirianae, quibus in orationibus ut iudicialibus interrogationes Ciceroni erant saepe quasi tela ad invehendum. In Pompeiana autem ut facinora fortia Pompei enumeret et illustret oratorem sibi poposuisse supra cognovimus; quam ad rem Cicero ut evitet enumerationes similes semperque eodem modo formatas, variandi causa aliquoties utitur ut aliis figuris sententiarum ita praecipue interrogationibus.[2]) Quam artem emphatice dicendi, praesertim cum multae interrogationes quasi quadam catena continuatae sint, certe amplificationi servire negari nequit. Atqui si Pompeianae exempla scire vis, aspicias velim §§ 31—34 et 61/62.

De praeteritione.

Restat ut pauca dicam de figura prateritionis vel occultationis quae est, „cum dicimus nos praeterire aut non scire aut nolle dicere id quod maxime dicimus." [3]) Cuius ornamenti praebet **Pompeiana** exempla splendidissima, quae — ut huius orationis interrogationes — saepe mihi videntur spectare nihil aliud quam ut varietatem efficiant in enumerando. Ad cognoscendam

---

[1]) Pomp. 52: „Quid igitur ait Hortensius? Si uni omnia tribuenda sint, dignissimum esse Pompeium. . ."

[2]) cf. etiam E. Norden, Verg. Aen. VI p. 307.

[3]) auct. ad Her. IV 27, 37.

autem hanc artem satis est legere exempla artificiosa continuata haec:

60. „Non dicam hoc loco maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse, semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodasse, non dicam duo bella maxima, Punicum atque Hispaniense, ab uno imperatore esse confecta duasque urbis potentissimas quae huic imperio maxime minitabantur, Carthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas, non commemorabo nuper ita vobis patribusque vestris esse visum ut in uno C. Mario spes imperi poneretur, ut idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret."

Aspicias hanc quoque seriem:

32. „Sociis ego vestris mare per hosce annos clausum fuisse dicam, cum...?

Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum ...?

Mercatoribus mare tutum non fuisse dicam, cum...?

Cnidum aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbis, innumerabilisque alias captas esse commemorem, cum...?

... Nam quid ego Ostiense incommodum atque illam labem atque ignominiam querar, cum ...?"

Praeterea legas:

48. „Itaque non sum praedicaturus quantas ille res domi militiae terra marique quantaque felicitate gesserit ...; hoc brevissime dicam neminem unquam tam impudentem fuisse qui ab dis immortalibus tot et tantus res tacitus auderet optare ..."

54. „Quae civitas umquam fuit autea, non dico Atheniensium, quae satis late quondam mare tenuisse dicitur, non Carthaginiensium qui permultum classe ac maritimis rebus valuerunt, non Rhodiorum quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria permansit."

Quibus addo exempla simpliciora haec:

25. „Sinite hoc loco, Quirites ... praeterire me nostram calamitatem, quae tanta fuit, ut eam ad auris imperatoris ... ex sermone rumor adferret."

26. „Multa praetereo consulto; sed ea vos coniectura perspicite quantum illud bellum factum putetis ..."

44. „Itaque ut plura non dicam neque aliorum exemplis confirmem quantum auctoritas valeat in bello ..."

Rabirianae autem sermo grandis praebet exempla insignia haec:

8. „An de peculatu facto aut de tabulario incenso longa oratio est expromenda? ... An de sororis filio diligentius respondendum est? ... An de servis alienis contra legem Fabiam retentis ... plura dicenda sunt? ... Nam quid ego ad id longam orationem comparem, quod est in eadem multae inrogatione praescriptum, hunc ... pepercisse?"

Contra oratio **Caeciniana** satis longa non praebet nisi exempla duo eaque non artificiose continuata, sed singula ac dispersa:

95. „Ut nihil de illo tempore ... querar, hoc tibi respondeo."

97. „Iam vero in ceteris rebus ut omnes ... lege agant ... quid ego commemorem?"

Iam ad finem pervenimus. Atque satis demonstravisse videor singularum orationum et Rabirianae et Pompeianae et Caecinianae proprias esse certas notas et formulas, quae quin tam numerosae tamque eximiae non ratione temporum sed orationum argumentis explicentur certe fieri non potest.

Caecinianae quidem genus tenue cui propositum est „docere", efficitur abundantia quadam verborum et sententiarum, quae tantummodo id spectat ut imitando sermonem naturalem et cotidianum

res reddat quam maxime possit dilucidas et claras. Neque minus perspicuitatem iuvat constructio enuntiatorum, quae saepissime legimus simplicissime exstructa et neglegenter adiuncta persaepeque brevia et angusta formata. Atque ut translationibus usitatissimis et ad intellegendum apertissimis habitus quidam inest plerumque vulgaris vel popularis, ita figuris verborum et sententiarum rarius et parcius sermonem tenuem exornat orator, quam duo altera genera dicendi.

Longe alia est natura orationis Pompeianae, qua Cicero oravit ad populum; populus autem delectari vult, quam ob rem oratio ad illum elegantior est et iucundior et ad ostentationem comparari solet. Sane quidem Pompeianae laudationis sermo medius, quem totum ex ipso genere demonstrativo sophistarum praecipue Isocratis profectum cognovimus, abundans est, sed ea est abundantia quae efficit voluptatem aurium idque cum vocabulis plenis et bene sonantibus et amplificantibus adhibitis tum periodis amplissimis et splendidissimis artificioseque descriptis atque compositis et eleganter adiunctis. Color autem poeticus, quem implere totum hunc hymnum — ut ita dicam — vidimus, praecipue perspicitur in translationibus, quarum audacia poetarum saepe simillima est. Atque cum „maiorem partem figurarum positam esse in delectatione“ Quintilianus nos doceat, ipsum genus medium abundare ut luminibus illis quae continentur concinnitate ita aliis figuris quis est qui miretur?

Rabirianae denique sermo sublimis, ad quem maximi est ponderis τὸ παθητικόν, nimirum vitat elocutiones illas et familiares et abundantes quae dilucidum reddunt sermonem, et translationes vulgares Caecinianae proprias; purus potius est sublimitatis sermo et dignus sicut Pompeianae, quamquam non idonea sunt vocabula illa plena et elocutiones amplificantes et translationes poeticae

laudationis propriae. Structuras autem hoc genere usus orator, qui ut „omni modo permoveat“ Cicero postulat, adhibet omnis generis, quae maxima arte compositae non quidem tam tranquille et molliter fluunt ut in Pompeiana, sed ostendunt aliquid acre et vehemens. In figurarum denique ornamentis sermo Rabirianae aliquantum cedit Pompeianae; quamquam anaphorae quidem et interrogationis figurae imprimis generis dicendi sublimis propriae esse videantur.

Index rerum et verborum de quibus in hac commentatione disputatur.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Corrigenda.

p. 64 adn. 1 v. 1 pro „qui“ legendum est „quae“.
p. 93 v. 20 post „Rabiriana“ addendum est „non mirum est“.
p. 96 v. 3 pro „usu“ legendum est „usi“.
p. 126 v. 32 pro signo interrogationis ponendum est punctum.
p. 128 v. 8 pro „iuvenimus“ legendum est „invenimus“.

Vita.

Hubertus Guilelmus Philippus Gotzes in oppidulo Dremmen provinciae Rhenaniae die III mensis April. a. proximi s. LXXXIII natus sum Joanne patre, matre Gertruda e gente Vossen. Fidem profiteor catholicam. Primordiis litterarum imbutus gymnasium Crefeldiense frequentavi, quod vere anni MCMVI maturitatis examine superato reliqui, ut studiis maxime philologicis me dederem Friburgi, Monaci, Monasterii. Denique ut studia mea ad finem perducerem, Rostochium me contuli. Docuerunt me viri doctissimi Schmalz, Schmidt, Thurneysen, Uebinger Friburgenses, Cauer, Erler, Geyser, Koepp, Koppelmann, Kroll, Meister, Meumann, Muenscher, Niehues, Radermacher, Schwering, Seeck, Sonnenburg, Spannagel, Streitberg Monasterienses, Drerup, Jansen, Otto, Simon, Vollmer, Weymann Monacenses, Bloch, Erhardt, Geffcken, Golther, Helm, Kolbe, Meyer, de Salis, Sommer Rostochienses. Seminarii philologici sodalis ordinarius fui moderantibus Helmio et Geffckeno per duo semestria. Praeterea viri doctissimi Bloch, Kolbe, Meyer admiserunt ut exercitationibus historicis, Erhardt ut philosophicis, de Salis ut archaeologicis interessem. Quibus viris omnibus gratias ago; imprimis vero Rudolfo Helm me gratiam debere et habere maximam semper profiteor, qui ad hanc dissertationem componendam me incitaverit nec unquam desierit studiis meis favere benignissime.
